
IOANNIS D'HOLLANDERI BELGAE GANDENSIS ... DE NOBILITATE LIBER PRODROMUS...

Jan : d' Hollander, Denis Harduyn, Giovanni Battista Coccini




NAZIONALE
VITT. EMANUELE
14
1 B
30



IOANNIS


D'HOLLANDERI

BELGÆ GANDENSIS

PROTONOT. APOSTOL. AC

CANONICI D. WALDETRVDIS

MONTIBVS HANNONIÆ




DE NOBILITATE

LIBER PRODROMVS

Ex Schædis DIONYSI HARDVINI collectus.

Ad Illustrißimum & Excellentißimum D.D. Ludouicum de Velasco Marchionem de Belueder, &c.







ANTVERPIÆ,

Apud GVLIELMVM A TONGRIS
Sub Signo Gryphi. Anno 1621.

CVM GRATIA ET PRIVILEGIO.

ILLVST^mo AC EXCELL^mo DOMINO
Domino
LVDOVICO DE VELASCO

Marchioni de Belueder, Equiti Ordinis S. Iacobi, Commendatori de Valencia del Ventoſſo, A Conſiliis Bellicis Regi Catholico, & Equitum leuis armaturæ in Belgica ſupremo Magiſtro

IOANNES D'HOLLANDER *felicitatem.*

DVæ potiſſimùm cauſæ, Illuſtriſſime ac Excellentiſſime Marchio, me impulerunt, vt hunc de Nobilitate Tractatum ſub auſpiciis Splendidiſſimi Nominis Tui publicæ lucis vſurâ donatum, omnibus legendum proponerẽ; prima à ſingularium beneficiorũ tuorum in me collatorũ multitudine proficiſcitur. Altera ab eximia familiæ tuæ claritate, quæ in-

ter Hispanicas, velut inter ignes Luna minores emicans, non per Hispanias ipsas modò, sed per vniuersam Europam illustres suæ dignitatis radios diffundit. Duplicem enim me ab hac inscriptione fructũ percepturum planè confido; primus erit aliquod erga magna tuæ Excellentiæ mihi collata beneficia gratitudinis meæ monumentum, cum non dubio obseruantiæ cultusque in te mei testimonio; Alter ex eo proueniet quod præfixis Nobilitatis tuæ titulis velut salutari Palladis scuto noster hic in describendâ Nobilitate labor, ab inuidorum calumniis & maligno dente, qui hoc presertim sæculo nulli quantumuis accuratæ scriptioni parcere solet, defendetur. Humanitas Excellentiæ tuæ & multis iam pridem testata signis erga me animi tui beneuolentia hoc penitus mihi persuadere potuerunt, futurum vt noster hic conatus iucundus, acceptusq; tibi sit. Cæterum tametsi non essent aliæ inscriptionis causæ, particulatim me concernentes, vel vnica illa sufficere poterat, ad te huic nostræ lu-
cubrationi

cubrationi defenſorem tutoremque conſti-
tuendum, quod inter omnes in hac noſtra
Belgica commorantes Heroes, Clariſſimus
emineas, & Auguſto natalium ſplendore
excellas: vt non alium merito patronum,
præſidemq; hic noſter de Nobilitate Tracta-
tus ſibi potuerit vendicare. Quid Velaſcio-
rum nomine in Hiſpania illuſtrius? quæ fa-
milia per ampliſſima illarum Regionum re-
gna, tantamque principum multitudinem
antiquitate, affinitate, bellicis editis facinori-
bus, honoribuſque ſeu togâ ſeu ſago geſtis,
cum hac tua comparari poteſt? Annales Hi-
ſtoriæque paſſim plenæ ſunt, quæ ſtratage-
mata huic tuæ familiæ propria, præclaraque
in Remp. Chriſtianam merita recẽſent. Quæ
omnia ſi vel leuiter hîc attingere animus eſ-
ſet, magnam maximi voluminis molem poſ-
ſint adimplere. Fateor equidem in me non
eſſe eam dicendi facultatem, quâ Velaſcio-
rum honores, & quà mari terraque latè ſpar-
ſa decora, licet id maximè in votis eſſet, poſ-
ſim percenſere. Quis vnius Orationis ter-

minis tot Illustrium virorũ agmina circumscribat? quis eorum in pace, in bello, in aula gestas dignitates enumeret? quibus continuâ quadam serie familiæ Velasciæ Heroes & Principes summâ cum integritate & in Reges suos fide perfuncti sunt, vt eas per manus à maioribus suis cum virtute transmissas hæreditario iure possedisse videantur. Si verò spolia & de Religionis Patriæque hostibus partas victorias inspicimus, eas non vnius gentis, sed cuiusuis etiam populi gloriam rerum gestarum magnitudine superasse, aut certè exæquasse dicemus. Inclyta prorsus & gloriosa memoria est, septem Laræ Regulorum, qui fidei Christianæ nobilissimæ victimæ parricidiali scelere proditi & Maurorum efferâ multitudine tanquam indagine circumsepti, plusquam à sex sæculis Arauianeos campos miserabili, at non inultâ cæde consecrarunt. Non possumus profectò satis honorificè meminisse aliorum in hac familia Clarissimorum virorum, qui non aliter quàm cœlestis illa machina stellarum decora-

decoratur, fulgore ita egregiis præstantibusque ausis Velascium nomẽ illustrarunt. Cui non nota eximia Rodorici Velasci virtus [a], qui tot aduersis vulneribus olim ad Alarci mœnia perfossus, non immemor auitæ fortitudinis deuotum Christo sanguinem & vnà animam profudit? Quis fortissimos viros æternumque in annalibus omnium nationum victuros ignorat? Sanchium Rodriguez, quis ex eo nepotem Sanchium Sanchez [b]? Quis eiusdem nominis pronepotem? Quis abnepotẽ Martinum Sanchez [c]? Quis magnũ belli decus, Sanchium Sanchez Velascum [d]; qui ad Heracleam munitissimam Maurorum vrbem, quam nostri cinxerant, spiritum reddidit Christo destinatum? Quis Ferdinandum Sanchi filium [e] qui illibatâ ac stabili in Regem fide maximis incrementis Regnum adauxit: Authoritate siquidem suâ &

a *Era 1293. & fue Majordomo major del Rey don Fernando.*

b *Era 1281.*

c *Caso con Doña Teresa de Carrion hija de don Alonso Ruyz de Carriõ y fue Commendador de Mõtemolin de la Caualleria de Sant-Iago Era 1350.*

d *Estan Sepultados en Santa Clara de Medina de pumar, que ellos fundaron. El retulo de su sepultura es: Aqui jaze Sancho Sanchez de Belasco Adelantado major de Castilla y justitia major del Rey y Doña Sãcha Carrillo su primera muger. Fue hijo Sancho Sanchez de Fernan Sanchez de Belasco qui jaze en Oña con sus majores de tiempos antiguos. Murio en seruicio de Dios y del Rey sobre Gibraltar. Era 1353.*

e *Esta sepultado en el Monasterio de Santa Clara de Medina de pumar, dize el letrero:*

& consilio liberam Alauæ prouinciam Regiæ ditioni adiecit, atque vt plura adijceret ad Algiziram inter Maurorum densissimas acies strenuissimè dimicans occubuit. A quo denique Petri Fernandei Velasci[f] præclarissima quà pace quà bello parta decora, & melioris famæ æterna monumenta ignorantur? quæ ille Deus! non præstitit, seu forum, seu castra aspicimus? summum & inuiolatum ius asseruit, cùm suprema penes illum starent regni iudicia. Diuersa maria hostili sanguine imbuit cùm Arragonum & Britannorum disiectam fœdè classem totius Europæ Insulis allideret, Zamorram contra Regem suum arma mouentem armis subegit, Turdetani Regni limites editâ Maurorum incredibili strage nobilitauit; paternas virtutes suscepit, nec patre minus fouit filius Ioannes Velascus, cuius præcl ıra quoque facinora in Annalibus tuæ Gentis commemorantur. Quid dignum fama Petri Fernandei

Aqui iaze Hernā Sanchez de Belasco hijo de Don Sancho Sanchez de Belasco Murio en seruicio de Dios y del Rey sobre Algezira. Era 1385.

f Camarero Mayor del Rey Don Iuan II. cōsta por el priuilegio dado à Vayona año 1420. confirma en los priuilegios de Valpuesta Era 1417. Año 1379. dize Pedro Hernandez de Belasco Vassallo del Rey Don Iuan II. Gano por armas la villa de S. Vincente frontera de Nauarra. Hallose en la tala de Granada y en la batalla de Olmedo en fauor de su Rey por cuyos seruicios se le dio el Contado de Haro, y à Vilforado.

Fernandei Illustrissimi Harae Comitis adferemus [g]? qui summâ religione, iustitiâ, fide, atque animi fortitudine inter Hispanię Proceres emicuit, atque Amplissimam Comitis stabuli dignitatem summo cum Reipub. bono gessit. Non attingam hîc, Illustrissime Marchio, titulos & honores quę per omnem ætatem familiã hanc peculiariter exornarunt; ex hac etenim plurimos exercituum Imperatores, Reipub. Moderatores: Maris Præfectos, Prouinciarum Præsides, Ordinum Militarium magistros, ac Aulæ summa decora sigillatim recensere huius nunc instituti ratio non facilè permittit. Titulos nihilominus aliquos audiamus, Duces Friasios, Marchiones de Berlanga, Comites de Haro, Comites de Castelnouo, Comites de Siruela, Comites de Salazar, Dominos & Barones septem Infantiũ de Lara, qui vt suprà attigi, ardentes pro Christo ac patria mori cum consanguineis affinibusque suis prodigè effuso sanguine, tanquam verno quodam imbre adeò feliciter exsurgentem religionem

g Conde de Haro Camarero mayor del Rey Don Henrique IIII. parece por la Historia de su tiempo año 1459. seruio mucho a los Reyes. Mostro su valor en la batalla de Olmedo contra el Infãte Don Alonso. Gozo de titulo de Cõdestable de Castilla. Seruio à los Reyes Catholicos contra Portugal. &c.

gionem irrigarunt, atque in Hiſpania ad tam firmum robur euexerunt, vt huc vſque ibi ſteterit immobilis, inter tot validas totoque orbe diſperſas opinionum ſeditionumque procellas ac tempeſtates; Dominos de la Caſa de Villalobes non commemoro, vrbium item de Villapanda de Pedraça de la Sierra. Illud profectò ad famam illuſtre eſt, per centum ac triginta plus minus annos non interruptâ ſerie familiã hanc Clariſſimos Heroes ſubminiſtraſſe Cubiculis Regiis, atque inde nullo interuallo dediſſe Stabuli-Comites, primam in Hiſpania dignitatem. Non poſſum etiam ſine piaculo omittere tuo merito, tuis partam ſudoribus, & vigilantiâ laudem ſingularem Velaſciis accedentem, ab Illuſtri Marchionatu de Belueder in Italia, quem quidem titulum, vt aliquam obſequiorum tuorum Auſtriacæ familiæ & Eccleſiæ Dei in Belgica impenſorum mercedem habes, atque vt diu illum & feliciter cum augmento aliorum honorum habeas, Deum immortalem ex animis

oro.

oro. Quid demum de Velasciorum affinitate honoratissimisque connubiis dicam? Quid optabilius? quid illustrius? quid magnificentius? quàm quod Velasci Heroes Hispaniæ Regibus filias suas collocarint, vt ex iis gignerent Reges, quàm quod Regum filias acceperint in legitimi thori cōsortium, vt ex iis gignerent Velascos? an non hoc ipso Velascum nomen regio non impar, Regum dumtaxat par esse Velasco Reges ipsi confitentur. Ex iis tu veluti Nobilissimus ab Illustrissima propagine surculus, & in quo prę reliquis gloriari possis, à Matre non minus quàm à patre Velascius Heros. Et quamquàm ad omnem generis tui splendorem toti orbi merito ostentandum, hoc abundè sufficere possit è Velasciorum antiquissima gente te descendere: insuper tamen eximiam familię illius claritatem ductâ in Belgio Nobilissimâ cōiuge adiectitio veluti lumine illustrasti. Illa est quam Excellentiæ tuæ Deus diutissimè sospitare dignetur: Illa est inquam Domina Anna de Boussu ex illa stirpe

oriunda, quæ non minus inter Belgicas eminet, quàm inter Hispanicas Velascia. Enimuerò ante annos quadringētos quinquaginta, Theodoricus Elsatius Simonis Comitis Elsatiæ & Kyburgi, item Dominæ Basileæ Bauaræ filius duxit vxorē Gertrudē de Flandria, à quo descendit Simon Elsatius Theodorici Comitis Flandriæ frater, qui Margaretam vnicam hæredem de Hennin, Lietart vxorem cepit, quorum filius vnicus Balduinus Elsatius Dñs de Hennin, Lietart, & de Quincy retentis armis sui patris, relictoq; paterno cognomine cepit cognomē maternū de Hennin, Lietart, ducta coniuge Isabella Hannonia quæ pro portione suæ hęreditatis, terram habuit & Dominium de Zeebourch, à quo venit Balduinus Dñs de Hennin, Lietart, Quinchy & de Zeebourch, qui vxorem duxit Machtildam Dominā de Fontaines, qui secutus exemplū ill^re. & laudabile Godofridi Buillonij vēdidit terram de Hennin, Lietart in sumptus profectionis Hierosolymitanæ sacriq; istic belli contra Barbaros & Christianæ.


Christianæ veritatis inimicos gerendi (quod vtinam à multis aliis factitetur!) ab illo venit Ioannes D. de Boussu & de Cuuillers; quod Dominiũ de Boussu ab Auunculo Nicolao Episc. Cameracẽsi anno 1272. dono accepit; atq; ex hac vita excessit mense Octobri 1300. Coniugemq́; habuit Mariam filiam vnicam Dñi de Blangies, eodem anno mense Nouẽbri pariter defunctã, è quo matrimonio inter alios natus est anno 1271. Balduinus dictus Luscus, D. de Boussu, Blangies, & Lãdillers qui in prælio Cortracensi 1302. mẽse Februario occubuit, ductâ coniuge Alexandrina du Roeux, quæ in quadragesima 1309. extremum quoq; diem clausit, ab illis natus est Ioannes dictus Crassus, qui duxit Ioannã d'Onghiez, quibus sine liberis defunctis eorum bona ad Ioannem cognatum Germanum Walteri & Ioannæ de Moy filium deuoluta sunt. Natus est ille Ioannes in Martio 1316. Dominus de Boussu, Blangies, & cæt. atque hac vita defunctus 5. Octobris 1379. vxoremq́; habuit Dominam Ioannam

de Rochefort in Ardenna Comitis Montiſacuti filiam defunctam ipſo Annunciatæ Virginis Feſto 1376. ab his inter alios prodiit Walterus Dominus de Bouſſu, Blangies, Gameraiges, &c. in Iunio 1452. mortuus coniuge priùs acceptâ Catharina de Bethune filia Ioannis Domini de Mareul, &c. à quibus inter alios Petrus natus eſt in Bouſſu ipſo S. Michaelis 1433. Dominus de Bouſſu, atque Aurei velleris Eques hac vita functus in Iunio 1490. ducta coniuge Iſabella de Lalaing, Guilielmi Domini & Baronis de Lalaing ac Bugnicourt filiâ, à quib. Philippus in Iunio natus 1464. Dominus de Bouſſu Catharinam de Ligne, Domini de Barbançon filiam vxorem habuit, ab his venit Ioannes cognomēto Magnus qui natus fuit in Bouſſu nona Auguſti 1499. Eques Aurei velleris primuſq; Comes de Bouſſu Dominus de Gameraiges, Blangies, Winckez, Lampuiſſart, d'Auſſy, de Beuury, Chocques, & plurium aliorum locorum. hic primus & Magnus vulgò *Eſcuier* Caroli Quinti Imperatoris atque

que inter alia quæ summo cum honore laudeque gessit, Castrum de Boussu ædificauit, quod inter Galliæ Belgicæ ædificia ruri posita meritò magnificentissimum possumus appellare. Vt verbo dicam, inter suæ ætatis fortes & generosos Equites, fortissimus generosissimusque est habitus; vxorem duxit Dominam Annam de Burgundia Adolphi Equitis Aurei velleris Domini de Beures de la Vere & Vlissinghes atque Archithalassi Belgici filiam natu maiorem, à quibus præter alios natus est Iacobus de Boussu Baro d'Aussy verus & vnicus hæres Marchionatuum de la Vere, & Vlissinghes, Dominus de Tornehem, vanden Agger, Brauwershauen, Westcappelle, Domburch, & cæt. duxitque Dominam Mariam Baronissam de Liedekercke, Denderleeuwe, Vicecomitem Bruxellensem & Lombekæ, Dominam vulgò des Francises, de Maelstede, Cappelle, Vlakerschore, Lombekę, Ydeuoorde, & Nyle, Dominam Sculterem hereditariam de Assenede territoriique Assenedani; Item de

Lokerem, Dackenam, Eluersеele & Waesmunster, & cæt. Pater Dominæ Annæ de Boussu, quæ Maxemiliani Comitis de Boussu Baronis de Liedekerke, Denderleeuwe, & cæt. soror Excellentiæ tuæ nupsit, quæ sororem natu maiorem habuit Mariam nuptam Ottoni Erico Dei Gratiâ Duci Brunsuicensi & Luneburgensi; Altera verò soror natu minor Iacoba maritum habuit Maxemilianum Baronem de Dieterstain fratrem natu maiorem, illius toto Orbe Famigeratissimi Cardinalis Dieterstain Germaniarum protectoris: Denique natu minima, Helena nupsit Inaco de Borgia filio secundo genito Excellentissimi Domini Francisci de Borgia y Centellas Ducis Gandiæ, Marchionis de Lombay & Comitis de Oliua Grādis Hispaniarum. Hæc breuiter perstringenda putaui, tametsi id pro dignitate & merito vtriusque familiæ à me factitatum non sit vt omnes, in quorum manus hic meus de Nobilitate Tractatus deueniet, intelligant me optimo iure nomen Excellentiæ tuæ huic
nostræ


nostræ paginæ præposuisse, eam obnixè rogans, vt qualecumque hoc meæ in te obseruantiæ argumentum fronte serenâ animoque beneuolo, vt ab homine tui tuorumque studiosissimo, & perpetuo Cliente profectum acceptare digneris. Deus Opt. Max. te Reip. Christianæ longum seruet incolumem. Gandaui Nonis Augusti. M. D C. XX.



BENEVOLO LECTORI S.

CVM Patriæ noſtræ, Beneuole Lector, id eſt, Flandricæ Nobilitatis amantiſſimus ſim pariter & obſeruantiſſimus, adfectuq; maximo deſiderem, intendamque quamprimum nobiles centum familias, quæ in hoc Flandrico ſolo illuſtriores emicant, in lucem publicam producere, omnes & ſingulos præſtantioris Indolis genijq; viros hancce noſtram poſtulationem viſuros animitus rogo, vt propoſitum hoc conatuſque noſtros, ſi quæ fortè habent, quæ promotioni huius negotij ſubſeruire poſſint monumentis ſcriptiſq; authenticis penes ſe latentibus adiuuare non dedignentur. Porrò familiæ quas illuſtrare contendimus,

tendimus, & ſine ordine & prærogatiuâ hic nominamus, ſunt hæ nimirum, *Vilain, Gaure, Liedekercke, Schoriſſe, Moerbeke, Giſtele, Herſelles, Stauele, Lichteruelde, Heule, Bailleul, Maſſemen, Halewijn, Maldeghem, Vāder-Gracht, Haueskercke, Baronage, Schouteete-Erpe, Claerhout, Yedeghem, Belle, Trieſt, Courtewile, la Barre, Rym, Eechaute-Anghereelis, Bette, Thienes, Vaernewijck, Serſanders, Damman, de Luu, Kethulle, Borluut, Vuytenhoue, Baenſt, Steelandt, Tollenaere, Hembieſe*, aliæque his non inferiores. Vale beneuole Lector, & Studia noſtra æqui, boniqúe conſule.



AD
CLARISSIMVM VIRVM
IOANNEM D'HOLLANDERIVM
Protonot. Apoſtolicum, D. Vvaldetrudis Montibus in Hannonia Canonicum,

DE NOBILITATE
ſcribentem.

NAturæ eſt ratio hæc, mortalibus inſita cunctis,
Ad laudem varius tendat vt illa modis:
Ad decora, ad claræ ſublimia nomina famæ,
Sollicitus multâ proruit arte labor
Vix hominum in terris, vt quiſquam viuat, honorum
Qui non innatos ſentiat igniculos.
At paucis liquet id, quo tramite vera paretur
Gloria, quo celſus Nobilitatis apex.
Sæpe etiam rectum, qui credit ſcandere collem,
Errat, & obliqua nititur vſque viâ:
Sæpe probrum, & maculas generi qui inſpergit auito
Luce nouâ magnos fulgere credit auos.
Vſque adeo denſis velantur noſtra tenebris,
Et tantum cæca pectora noctis habent.

Nunc

Nunc vt purpureo fugat horrida nubila vultu,
Et lætum puro sol vehit ore diem:
Monstratur doctis non deuia semita curis,
Atque micant rutilæ ad decora alta faces.
Has d'HollanderI præbet labor inclytus, ergo
Nobilibus titulis crescere quisquis amas,
Sudori gratare pio: nam pluribus olim,
Hoc tibi præmetium sic placuisse videns,
Ingenij donis, & culta munere linguæ
Sæpe volet studiis consuluisse tuis.

Antonius Sanderus. C.

V. R. IOANNI D'HOLLANDER.

Dum magnis animis, laudisque accensus amore
Nobilitas quæ sit, quot veniatque modis
Hollanderus agit, maiores voluere Liza,
Maiores genitor Liuia cœpit aquas.
Nec mora: discurrunt virides per compita Nymphæ,
Et ciui properant texere serta suo.
Nobilitas hæc Ganda tua est. tibi Flandria debet
Magna parens ciues, & tibi debet opes.
Nunc à te populi qui quondam iura petebant,
Iudicium veræ Nobilitatis habent.

Daniel Heinsius. G.

APPROBATIO CENSORIS.

LIber hic *de Nobilitate* ex virtute & claris facinoribus petendâ, propagandâ, retinendâ, tam nil habet fidei orthodoxæ, ac bonis moribus contrarium, vt citra noxam imprimi posse censeam hac 14. Iunii 1620.

Antonius Smets Canon. & Archipr. Gandensis, Librorumq; Censor.

SVMMA PRIVILEGII.

TIBI Gulielme à Tongris concedo facultatem imprimendi Tractatum meum, ſiue *de Nobilitate librum prodromum*; ſimulque tibi poteſtatem impertior prohibendi omnibus & ſingulis ex vigore priuilegij mihi à Sereniſſimis Belgarum Principibus in Concilio Brabantiæ conceſſi vigeſima Iunij anni præſentis, ne quis præter voluntatem tuam aut tuorum infrà decennium, eundem Librum imprimat, ſub graui mulctâ latiùs in literis deſuper Bruxellæ confectis memoratâ. Actum Gandaui Idibus Septembris 1620.

Signat.

A. Cools.

IOANNIS D'HOLLANDERI

DE NOBILITATE DISSERTATIO.

DE Nobilitate Sermonem inſtituturi, Illuſtriſſime Excellentiſſimeq; Marchio, cum Dialecticorum more partiemur. Ante omnia Nobilitatem definiemus, vt intelligatur, quid ſit, de quo eſt diſputatio; deinde quum Nobilitas, ſicut humana omnia, ſit bonum varium, & commutabile, & quibus modis, quibúſve artibus, & virtutibus, id familiis lumen accedat, quibus contrà vitiis & maculis extinguatur, aut deturpetur, plenè diſſeremus, Iſmeniam tibicinem imitantes, qui diſcipulis ſuis non tantùm bene, ſed etiam malè canentes oſtendebat, dicens, hoc modo canẽdum eſt, illo nequaquam; poſt hæc de Nobilitatis origine, & antiquitate dicemus, ab heroicis vſq; temporibus, & aureo ſæculo omnem veterem memoriam repetentes. Poſtremò quæ non aliena à ſuſcepto opere videbuntur, adiiciam; de armis (vti vocant) gentilitiis, eorum inuẽtione ac vſu; diſputationem item de coloribus, quorum in armis

vsus est, & de eorum natura ac significatione. Quæ equidem omnia præmittenda duximus, ne inciuiliter ac indecorè, illotisque (quod aiunt) manibus omisso procemio ad tam infinitum heroum chorum accessisse videremur. Nam & Plato princeps ingenij & doctrinæ (vt eum vocat M. Cicero) quibuslibet etiam libellis exordia, & quasi præludia, quæ vtilem ad rem dicendam tractationem haberent, præponenda esse censuit. Porrò nobilitatis non vna, sed varia & multiplex est significatio: patet enim hoc nomen latissimè. Sed tantùm vsurpabitur à nobis vt generis claritatem denotet, id est, Nobilitatem, quam vulgò politicam siue ciuilem nuncupamus; de aliis nobilitatis speciebus non decreuimus hîc disputare; de iis enim oppidò satis disseruere Christianorũ Theologi, ac ethnicorum Philosophi. Est autem Nobilitas, de qua agimus, virtutis præstantia, in aliqua gente seu familia constituta (vel si mauis) generis splendor, in quo frequenter magnæ virtutes & clarissimi homines enituerũt. Verùm quia non omnem virtutem gloriæ splendor ille eximius, qui Nobilitatem parit cõcomitatur: hęc mihi definitio coarctanda & restringenda videtur. Non enim Philosophi, quantumuis excellentibus polleãt virtutibus, in vmbriferis Academiis ab hominum seiuncti

Nobilitas quid?

iuncti ſocietatibus deliteſcentes hoc Nobilitatis decus, & ſplendidam gloriam ſibi acquirunt; ſicut nec Druidæ apud Gallos, aut apud Indos Gymnoſophiſtę nobiles habiti fuere: quod nimirum ſibi potiſſimùm placentes, ſeruienteſque, nihil commoditatis fructúſve ad communem mortalium vitam ferrent. Nulla denique vllo vnquam tempore familia nobilis habita fuit, quod in ea nati eſſent quàm plurimi corporum cœleſtium, Terræ dimenſionum aut Matheſeos peritiſſimi; inuentæ quidem fuere multæ inter Gręcos familiæ, quę contemplatione delectatæ ſunt, multaque ad cognitionem rerum abſtruſarũ & admirabilium pertinentia conſcripſere, nec ideo tamen inter nobiles aut patritias recenſitę, quod virtutes illę ad paucorum vtilitatem pertinerent; Inuentę ſunt inter eoſdem alię familię factis illuſtres, quæ poſtpoſitâ priuatâ commoditate & voluptate animi, id eſt, contemplatione, totam vitam in claris actionibus magno ſuę Reipub. bono conſumpſere; hac ſibi decus Nobilitatis pepererunt. Eâ igitur virtute familiam dicimus nobilitari, quæ otio & ſecretis receſſibus inimicam ſe exhibet, ad humanam communionem, ſiue hominum genus beneficiis afficiendum, excolendum, conſeruandum, deque eo quàm præclariſſimè merendum. Præcipuè

autem de patria. Nam quum omnia (vt ait Marcus Tullius) ratione animoq; lustraueris omnium societatum, nulla est gratior, nulla charior, quàm ea quæ cum Repub. est. Vnicuique nostrûm chari sunt parentes, chari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium charitates patria vna complexa est. Hanc igitur (quam amare natura cogitur) beneficiis quàm arctissimè astringet, qui ad Nobilitatē aspirat, tum quos memorauimus alios, post totam humanam cognationem & communionem: Porrò hæ ferè sunt virtutes quibus latissimè amplissimeque in commune prodesse possumus, iustitiæ & æquabilitatis cultus, & obseruantia, rerum bello gerendarum ardens desiderium; quibus adde, Iuris ciuilis disciplinam ac dicendi artis maiestatē, & si quæ sunt alia huius generis quæ ad Rempublicam benè tuendam maximè conducunt, & in ciuitate dominantur, de quibus particulatim mox sermocinabimur; Ex superiore Nobilitatis definitione colligimus, virtutem non tantum moribus, educatione, doctrinâ, studio, sed etiam naturâ, genere, & indole contineri; quod eò minus admirabile videri debet, quò in animantibus mutis & brutis, & plantis, idem obseruare est. Videmus enim quasdam aues etiam eiusdem speciei nobiles, alias ignobiles vulgò vocari; sic falconum quidam

Quibus nobilitas paratur.

gen-

gentiles, id est, generosi & nobiles, quidam peregrini, hoc est, ignobiles, nuncupantur: (vt noster tradit Bartholus in tractatu de falcone.) Et quanti interesse putas, è quali arbore surculus defringatur, aut fructus colligatur, quum vox sit diuina, Non potest arbor mala bonos fructus facere, neq; arbor bona malos fructus facere; Et quanti refert è quali genere sit canis susceptus, aut equus generatus; Matth. 7. Luc. 6.

» *Fortes* (inquit Lyricus Poëta) *creantur fortibus & bonis*
» *Est in iuuencis est in equis patrum*
» *Virtus. Nec imbellem feroces*
» *Progenerant aquilæ columbam.*

Quum igitur hæc tanta vis sit naturæ, vt res mutas, belluas rationis expertes frutice complectatur: certè in homine cæterorum animantium principe, multo efficaciorem esse, phas est ęstimare. Quę equidem ratio potissimùm mouit Athenienses, Lacedæmones, & Thebanos opinione sapientiæ celebres, vt ob retinendam, scilicet indolis & generis nobilitatem, vel nullos, vel raros in ius ciuitatis admitterent: vt interim taceam morem pellendi hospites, qui si promiscuè in ciuitatem recepti fuissent, Seminaria illa tantarum rerum pu-

blicarum ignobili ſuâ, & ignauâ indole, ac peregrino ingenio & naturâ, facilè corrumpere potuiſſent, ac labefactare. Miranda profectò eſt hæc ſtirpium nobiliorum energia, quæ tam incredibiles operationes & effectus producit. Id enim fermè videmus vt qui excelſo loco, & illuſtribus ſunt orti genitoribus, ad eas virtutes ſtudioſè contendant, quibus maiores eorum laudem ſunt conſequuti: ſic intelleximus gloriâ parentum, domeſticâ virtutis indole ac genio familiari, olim Camillos, Fabios, Scipiones, Æmilios, ad bene de Repub. Romanorum merendum excitatos; proinde & Æneas apud Virgilium Aſcanium filium ſuum ad virtutem incitat his verbis,

Ouidius: Sæpe tibi pater eſt, ſæpe legendus auus.

"*Diſce puer virtutem ex me verumq́; laborem,*
"*Tu facito, mox cùm matura adoleuerit ætas:*
"*Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum*
"*Et pater Æneas, & auunculus excitet Hector.*

Collocabant clarorum virorum ſtatuas in foro pro roſtris, pro deorum templis, priſci illi Romani rerum pulchrè geſtarum inſcriptionibus in baſi adpictis, quibus inſpectis Iuuentus æmulatione gloriæ excitaretur, nullumque laborem, aut diſcrimen pro ſalute patriæ ſubire recuſaret. Mouent certè

certè homines ſimulachra, imagines triumphiq́; maiorum, ſed nihil eſt quod æquè excitet atq; naturalis illa & domeſtica virtutis indoles. Virtutem igitur naturâ cõtineri demonſtratum arbitramur, quod tamen ita accipi volumus vt, quemadmodum agros fertiles non per ſe, ſed ſegetis ſpe commendamus: ſic familiam aliquam in pretio habemus, quod fœcundam virtutis ſegetem ſæpiſſimè proferat. Quadrifariam diuiſit Nobilitatem Plato; Primam dicens eorum eſſe, qui claris, bonis, iuſtiſq́; parentibus ſunt prognati: Secundam, quorum parentes aliquãdo Principes extitere: Tertiam, quorum maiores famâ, & rebus bello geſtis, vel publicis certaminibus, partâ coronâ, claruerunt: Quartam eorum, qui præclarâ aliquâ doctrinâ & animi magnitudine excellunt; Doctos autem, vt verè nobiles cæteris omnibus Philoſophus anteponit: Ego autem, vt ex ſuperiori Nobilitatis definitione liquet, Platonem in hoc minimè ſequor; eum tamen inter nobiles omnium nobiliſſimum iudico, qui circulum iſtum ſuis numeris abſoluerit: Porrò ſuprà inter eas virtutes quas diximus rectè ad Nobilitatem ducere, primo loco Iuſtitiam memorauimus, quam dixere Philoſophi eſſe æquabilitatem vnicuiq́; quod ſuum eſt reddentem, pertinentemq́; maximè ad ſocietatem hominum

Nobilitatis diuiſio.

Iuſtitia.

inter se conseruandam: hæc in æquitatem & beneficientiam, vel liberalitatem diuiditur; De prima nunc, de altera paulò inferius, disputabimus. Iusti igitur in Rempub. honestè viuunt, alterum non lædunt, neque hæc tantum exactissimè præstant, sed iniurias aliis illatas vindicant, potentes cum tenuioribus pari iure retinent, miseros & supplices in suam fidem recipiunt, studentque enixè extinguendis latronibus, furibus, & huiuscemodi portentis, quę ciuitatis libertatem & pacem perturbant. Ab hac igitur virtute Regia primùm orta potestas, hinc Optimates & Principes extitere, hinc prima Nobilitatis principia nata sunt, neque vllum omnino genus Nobilitatis antiquius aut præstantius hisce Regibus, qui primi se virtute pręstantissimâ ad ciuilem statum, & hominum salutem accommodarunt. Nam primis illis infantis mundi cunabulis, cum genus mortalium in syluis viueret, & montium cauernis, nullam coleret religionem, nullum humanitatis studium, omnia vis, ac præceps & inconsultus animi impetus administraret, cum viueretur ex rapto, & impotentiores à potentioribus affligerentur, omnes qui iniuriam acceperunt, confugiebant, seseque dedebant in clientelam alicuius egregij viri, in quo præ cæteris lumen æquitatis & iustitiæ elucere videretur;

Vide Iustinū historicum in princip. hist. suæ.

Vnde orta Nobilitas.

tur; hi cùm miſeros in præſidium ſuum & tutelam recepiſſent, eueniebat, vt omnes qui otium & ſecuritatem amarent, omnem ſpem in eius virtute & imperio conſtituerent, quem animaduertebant eſſe quàm iuſtiſſimum. A iuſtitiæ igitur fonte Principes & Reges originem duxêre, non ſanè apud Medos tantùm, ſed etiam omnium hominum nationes, vt rectiſſimè dixit Pater Hiſtoriæ Herodotus. Hac arte ad Imperij faſtigium peruenêre, Pittacus Mytilineus ex ſeptem Græcis ſapientibus, Numa Pompilius apud Romanos, tot Cõſules ad conſulatum, vt omittamus ſexcentos alios, qui hac viâ apud diuerſos populos Imperij faſces conſecuti ſunt. Camillus Dictator Romanus remiſſo pædagogo virgis ab eiſdem pueris cæſo, quos ſecum transfuga in hoſtium caſtra adduxerat; Faliſcos, quos vi non poterat, Iuſtitiâ & clementiâ in deditionem accepit. Ex ſuperioribus itaque rectè inferemus, Nobilitati nobilibuſque hominibus, tam conuenire, quàm quod maximè, regere imperio populos; humilium autem eſſe regi ac ſubiici; quod nihilominus frequenter in dubium reuocatum eſſe cognouimus; Non æquum enim multis viſum eſt, quum omnes nos natura liberos creauerit, hos non poſſe ſuo arbitratu ac modo viuere, ſed Nobiliũ debere voluntati

parere & arbitrio; Verùm homines nobiles non sòlùm ad imperandum natos, ſed etiam plebem ipſam tum demùm pace firmiſſimoque præſidio muniri, cùm ad Reipublicæ clauũ ſedent nobiles & illuſtres viri, multæ res docent. Nobilitas ſanè gloriæ cupiditate accenſa, odit ſordes, auaritiam, & omnem turpitudinẽ, libentiſſimeque pro Repub. magnas res ſuſcipit, ad omnia mala, & diras calamitates pręcauendũ ſummam adhibet diligentiá, neminẽ lædit, vnicuiq; ius ſuum tribuit, & æquiſſimâ trutinâ largitur, malis moratos moribus plectit, & è medio tollit, ne diutius Rempub. lædant, bonos præmiis alit, & honorib. dignitates & magiſtratus maxima & pulcherrima virtutis præmia benè merentibus præſtat. Obſcura verò & abiecta plebecula cùm nullũ ſentiat glorię aculeum, ſummo opere, lucra turpiſſima, ac omne genus flagitia, conſectatur, & ad Remp. re aut conſilio iuuandam, ignaua, iners, mollis eſt, & languida; Sic audiuimus olim Athenas, Spartã, Romam, (quæ ciuitates omniũ opinione pręſtantiſſimæ ſunt exiſtimatę) à Principibus, & Nobilib. viris conditas, cõſtitutas, & conſeruatas, eaſdem ſimul atq; à multitudine regerentur, vexatas, direptas, & adeò earum ſtatum labefactatũ, vt eſſe prorſus nullus videretur. Quo igitur Reip. forma à plebis poteſtate popularíve

pularíve arbitrio ac Democratica regiminis ratione magis est separata, tantò sanè est stabilior, & sibi cõstantior. Hinc illud est, quod non ad quamuis occasionem, imò difficillimè conuellantur aut pessum eant Aristocratiæ; Regna verò & Monarchiæ, ferè sunt sempiternæ. Secundum iustitiam compendio ad hunc Nobilitatis splendorẽ ducit animi celsitudo, quam Magnanimitatẽ vocamus, quâ fit, vt mortis, aut violentorum casuum terrore minimè horrescamus, dum pro conciuiũ salute vitam effundere detur. In bellis gerẽdis hæc virtus maximè perficitur, pręcipuè verò si pro patriæ cõmodo, libertate, aut incolumitate certetur, pro qua nullus nobili mẽte pręditus, nullus bonus vnquã mortem oppetere (si ei sit profuturus) nullus vel vitę discrimine, opibus, dignitate, latifundiis, agris, honestis vectigalibus, & Imperio eam augere dubitauit. Qua ex re Curij, Fabritij, Catones, magnã olim gloriam sunt consecuti, quantâ laude dignũ censebimus Brutum optimũ ciuem, primum Cõsulẽ post eiectos Reges, qui neq; filiis in cõiuratione deprehensis, neq; sibi ipsi pepercit, cùm patrię libertatis vindicãdi studio collatis hastis cum Arno Tarquinij superbi filio cõgressus est; cecidêre certè ambo, mutuò inflictis plagis, sed diuersâ nominis famâ. Laudatur Brutus, vt præclarè de patria

Magnanimitas.

B 2 meritus

meritus, Aruns, vt flagitiosus parricida improbatur. Deciorũ nota est historia, quorũ alter bello Gallico, alter bello Latino pro patriæ incolumitate sese deuouit, Codri Atheniensiũ Regis exẽplo: iniecit se in lacũ Curtius armatus, nobilissimus adolescẽs, equo calcaribus in voraginẽ adacto; intellexerat enim Vatum oraculis hiatũ terrę coire non posse, nisi eâ re iniectâ, quâ populus Romanus plurimũ valeret. Plena est huiusmodi exemplis Romanorum historia. Quo detestabilior est eorum immanitas, qui omni sceleris genere patriam diuexant, & posthabitis conciuium commodis & salute, auaritiæ & voluptatis gratiâ, ab ea extorquent quicquid in mentẽ venit. Potuítne vox vlla sceleratior audiri quàm illa Catilinæ, qui dicente Cicerone incendium ab eo excitatum; Sentio, inquit, & illud quidem si aquâ non potero, ruinâ saltem extinguam; patriæ excidium minatus. Sed hunc idem exitus perdidit, ac meritò profectò qui L. Saturnium, Sp. Melium, duos Gracchos, tyrannidem ad exitium patriæ affectantes. Quanto laudabilior Themistocles, qui ne patriæ bellũ inferret, instante Xerxe Persarum Rege, instituto sacrificio paterâ exceptum tauri sanguinem hausit, & hoc modo mori maluit, quàm patriæ aliqua ex parte incommodare. Hoc idem si Corio-

lano

lano, Mario, Cinnæ, Carboni propoſitum fuiſſet, ante illatum patriæ bellum, gloriam certè multis partam laboribus, non vnà cum vita turpiſſimè amiſiſſent; hoſtes enim patriæ iudicati, in cuius ſinu educati fuerunt, ſuorum ſcelerum pœnas dedere. Qui igitur gloriâ accenſi nobiles euadere ſtuduerunt, in rei bellicæ ſtudiũ præcipuè operam locarunt ſuam: cui certè ſtudio plurimum honoris apud omnes penè populos ſemper tributũ fuit. Hinc illa apud Romanos trophæa, ouationes, triumphi, arcus triumphales, ſtatuæ, coronæ militares, triumphales, obſidionales, ciuicæ, murales, caſtrenſes, vallares nauales, laudationes tum in vita tum in morte; adde etiam hiſtoriam, poëſim, & muſicam, quâ in conuiuiis ad cytharam heroum præclaræ res & facta canebantur. Contrà, ignauiæ atque formidini permulta probra fuerunt & Romanorũ & aliarum Nationum legibus conſtituta. Apud Macedones obſeruabatur, vt qui nullum in acie hoſtem interemiſſet, capiſtro publicè cingeretur: Amazones non nubebant, niſi prius hoſtem in prelio cecidiſſent: Apud Scythas denique, nemini licitum erat in ſacris epulis circumlatum poculum accipere, qui nullum in militia virtutis ſuæ ſpecimen dediſſet. Scriptũ reliquit Marcus Tullius in oratione quæ extat

pro Murena: duas artes esse quę locare possunt hominem in amplissimo dignitatis gradu, quarum alteram Imperatoris dicit esse, id est, pręfecti exercitus siue ductoris copiarum, quem Romani Imperatorem vocabant, quo allusisse videtur Horatius, [a]

[a] Lib. Serm. 1. Satyr. vi.

Nec quod auus tibi maternus fuit atq; paternus "
Olim qui magnis legionibus imperitarint, "
Vt plerić; solent naso suspendis adunco "
Ignotos vt me libertino patre natum. "

Remansit in hodiernum vsque diem apud Italos vetus illud verbum, duo esse, vnde Nobilitas nascatur, Armorum scilicet & litterarũ studia, quod ad excitandos commilitones suos frequenter in ore habebat Ioannes Iacobus Triuultius patritius Mediolanensis, Vigleuam & summus copiarum Francisci primi Francorum Regis ductor, eximiâ vir fortitudine, & multis inclytus victoriis, solebatq; inculcare militiam egregiè nobilitare, vsque adeò vt quisquis militis cingulo cinctus esset, idẽ esset continuò nobilis; quam sententiam nonnulli iuris nostri auctores sequuti sunt, & Perusij in Hetruria id obseruari scripsit Bartholus, [b] militiam certè multum ad Nobilitatem instrumenti secum ferre, declarat qui Romę sub templo Concordiæ

[b] In l. 1. col. vi. vers. examinemus ista verba, & iterum col. ix. versiculo 4. infertur. C. de dign. lib. xii.

cordiæ inuentus fuit Cippus cum huiusmodi Inscriptione,

Fl. Stilichoni V.C.

Flauio Stilichoni Illustrißimo viro magistro equitum peditumque Comiti domesticorum, Tribuno prætoriano & ab ineunte ætate per gradus clarissimæ militiæ ad columen gloriæ sempiternæ eu. regiæ adfinitatis, euecto progenero Diui Theodosi Comiti Diui Theodosi Augusti in omnibus bellis atque victoriis & ab eo in adfinitatem regiam cooptato, itemq́; Socero D.N. *honori Augusti Aphricæ consiliis eius ex prouisione liberata ex* S.C.

" Audiamus si placet C. Marium apud Salustium in
" bello Iugurthino orantem: Non possum, inquit,
" imagines neque triumphos, aut consulatus Ma-
" iorum meorum ostentare; At si res postulet, ha-
" stas, vexillum, phaleras, alia militaria dona, præ-
" tereà cicatrices aduerso corpore; hę sunt meę ima-
" gines, hæc mea Nobilitas non hæreditate relicta,
" sed quam ego plurimis meis laborib. & periculis
" quæsiui, non sunt composita verba mea, parui id
" facio, ipsa virtus satis se ostendit, illis artificio o-
" pus est, vt turpia facta oratione tegant, neque litte-
" ras Græcas didici, parum placebat eas discere,
" quippe quæ ad virtutem doctoribus nihil pro-
" fuerunt. At illa multo optima Reip. doctus sum

hostem ferire, præsidia agitare, nihil metuere nisi "
turpem famam, hiemem & æstatem iuxtà pati, "
humi requiescere, eodem tempore inopiam & "
laborem, tolerare. Hic certè municeps Arpinas "
quum esset humili & obscuro loco natus, nullâ maiorum commendatione, amplissimos honores est adeptus: hac scilicet solâ arte militiæ, sicut liquidò patet ex honestissimo vetere epigrammate in libro vrbis antiquæ quod res ejus gestas indicat in hunc modum:

C. Marius Cos. VII. *Pr. Tr. Pl. Q. Augur Tr. Mil. extra sortem bellum cum Iugurtha Rege Numid. vel procos. gessit, eum cepit & triumphalis in Iouis Ædem secundo consulatu ante currum suum duci iussit.* III. *consul absens creatus est.* IIII. *Cos. Teutonorum exercitum deleuit.* V. *consul Cimbros fugauit, ex eis & Teutonis iterum triumphauit: Rempub. turbatam seditionibus & Tr. Pl. & prætor. qui armati capitolium occupauerant.* VI. *Cos. vindicauit post* LXX. *annum patria per arma ciuilia pulsus, armis restitutus* VII. *Cos. factus est, de manubiis Cimbricis & Teutonicis Ædem Honori & Virtuti victor fecit, veste triumphali calceis puniceis aliàs patriciis.*

Eadem via insistentes, ad Imperatorium decus, & Augustalem maiestatem peruenêre (vt taceam

ceam tot Consules, tot Dictatores, equitumque magistros, amplissimos illos magistratus sic etiam consecutos) Iulius Cesar Pescenninus niger, Opilius, Macrinus, Maxumus Papienus, illiusque in Imperio consors Balbinus, Philippus Arabs, Aurelianus, Probus, Diocletianus, Licinius, Maximianus, Valentinianus, qui omnes cum aliis plerisque, obscuris quidem natalibus, sed arte bellicâ clari, Augusti facti sunt. Dies me defecerit si exterorum, & barbarorum Regum nomina recésuero qui quo supradixi modo sceptra obtinuere apud suos, aut finitimos, aut etiam longinquos populos.; Non videntur tamen mihi citra contumeliam hoc loco, silentio præteriri posse: qui Atauorum nostrorum memoria in Italia ex humili fortuna clarissimum & nobilissimũ nomen, ac ditiones bellicâ laude sibi vendicarunt; hi sunt, Sfortia, ille cui à rerum gestarum magnitudine Magno nomen fuit: Braccius Montonius, Nicolaus Picminus, Franciscus Carmagnola, Tartalia, Blasius Axaretius, Castratius Castracanus, & qui superioribus annis vno tempore parua manu nullius suffultus præsidio Rhetis, Heluetiis, bellicosissimis populis, & Iusubriæ Regulo Francisco fortissimè restitit, Ioannes Iacobus Mediceus Mediolansis, post rem benè gestam & belli Catastro-

phen, Marchio factus Melignani ad Lambrum. At nusquam magis obuia sunt huiusmodi exempla quàm in Imperio Turchorum, quod latissimum est & augustissimum, vbi maximus est militibus honos, maximeque nobiles existimantur, qui stipendia ex militia à principe accipiunt, [c] ij sæpissimè ex ignotissimis & obscurissimis, si fortes viri sunt, ad summa honorum fastigia etiam repentè euadunt, & inter purpuratos Bassas gloriâ coruscantes eximiâ & Nobilium virorum longè nobilissimos atque adeò (si sic loqui possumus) protonobilissimos collocantur. Superiori certè ætate, Orucius, & eius germanus Ariadenus Ænobarbus, Nali Barbarossam vocant, in Mytilene insula ex Cycladibus Ægei maris infimo loco nati, patre Græco, sed Mahumetana lepra infecto, matre verò Iudęa, inopes & priuati, sed excelso animo milites, Pyraticā aliquamdiu exercuêre, & benigno Marte ac Neptuno vnam atque alteram triremem deprædati, facilè plurium possessionem latrocinio sunt consecuti; quarum posteà præsidio animum à Pyratica ad iustam militiam conuertentes, gloriosissimas expeditiones fecêre, neque eximia eorum virtus quæ omnia Regno inferiora nihili duceret, potuit conquiescere donec sibi Algeriæ regni diadema

c Bellonus libro 2. obser. Paulus Iouius & alij.

dema peperisset; Ariadenus insuper tribus Bassis quartus fuit additus, & vniuersi maris Mediterranei (quaquà patet Sulthani ditio) & Euxini Architalassus creatus, cum inaudita potestate & Imperio. Nunc tertia sese offert via, quam suprà indicauimus plurimum instrumenti adferre ad familiæ splendorem, iuris ciuilis Romanorum prudentia, quæ apud Romanos & alias nationes, quæ paulò humaniores essent, semper summo in honore habita fuit, eamque Romæ ante confusionem temporum (vt inquit Cicero) in possessione sua Principes retinuere. Consilio enim Rempublicam & conciues iuuare, atque hoc scientiæ genere prodesse quàm plurimis vehementer & ad opes augendas, & ad gratiam populi & Principum promerendam, & Nobilitatem quærendam pertinet. Reliquæ artes mehercle ferè egent, & possessores suos ob paupertatem & ignobilitatem propè ridiculos faciunt. Nuda & sola incedit (vt inquit in Odis Petrarcha) Philosophia, à vulgo ludibrio habita, Poëtarum studium etiam inane videtur. Nam nec huius artis pater Mæonides vllas ipse reliquit opes. Medicina quanquam proficua & humano generi perquàm necessaria, facultas seruilis tamen olim habita, nec magnas opes, nec

Iurisprudentia.

Nobilitatem; ſuo alumno dare à multis cenſetur. At iuris prudentiæ ſummus ſplēdor, ſumma ſemper vtilitas fuit, iam inde ab antiquiſſimis temporibus; quâ etiam multi Romanorum Imperatores Augusti gloriam ſuam auxêre; Auguſtus enim cùm excelleret ciuili ſapientia in quæſtionibus, iuris quàm multa de ſua propria: Item Trebatij, Tuberonis, Labeonis & Capitonis ſuntentiis, conſtituit; qui etiam Iuriſconſulti ſæpè Auguſto ceſſere, ſed & Labeoni etiam liberè aduerſanti, ſæpè ceſſit Auguſtus. Verùm vt ſunt moroſi interdum etiam lenes & moderati Principes, Auguſtus, & ſi non læſit Labeonem, tamen offendi ſe eius libertate ſignificauit, ideoque Capitoni minori natu Conſulatum dedit. Retinuerunt Auguſti morem, & poſt eum Principes multi, nec ſine Iuriſconſultis, in rebus politicis ferè quicquam faciebant. Tiberio Imp. Aug. adfuere Nerua & Caſſius, Caſſius Veſpaſiano, Trajano & Adriano Celſus, & plerique alij, [c] poſteà Pius & Marcus Antonini, multò etiam frequentiorem Iuriſconſultorum numerum ſibi adeſſe voluêre. Alexander Seuerus (cuius plurimæ extant in Codice Conſtitutiones) nihil decernebat niſi viginti Iuriſconſultis in conſilium adhibitis; cùm igitur illi Clariſſimi viri artem effecerint, & omnia accu-


[c] Neratium Priſcum I C. laudatiſſimus Imperator Trajanus & Iuriſconſultiſſimus, tam charum habuit, vt ſucceſſorem Imperij Romani relinquere in animo haberet.

rate

ratè complexi ſint, quæ ad tuendam ſocietatem humanam ſpectant, rerum diuiſiones, acquirendi modos, contractuum & ſucceſſionum iura, obligationes, actiones, & criminum pœnas; quare eos & eorum ſimiles Nobilium nomine non dignabimur? Nobilitat igitur Iuriſprudentia ſicut Doctores noſtri multis operum ſuorum locis diſertè ſignificarunt, [d] & Iuriſconſulti veteres, Vlpianum Nobilem, & nobiliſſimum appellarunt; quamuis non ignorem, eſſe nonnullos qui tribuant hoc Nobilitati generis. Sed audiamus Spartianum in Iuliano Imperatore; Didio (inquit) Iuliano qui poſt Pertinacem Imperium adeptus eſt, proauus fuit Saluius Iulianus bis Conſul, Præfectus vrbi, & Iuriſconſultus, quod magis eum Nobilem fecit. Libet hîc adſcribere Salyceti noſtri teſtimonium [e] aliorum præclari nominis Iuriſconſultorum doctrina firmatum. Ait ille: ſi Illuſtris quæpiam Domina Titulo Comitis inſignita nubat iuris Doctori, eam indigno nupſiſſe dici minimè poſſe; ſic etiam magnarum curiarum ſiue Parlamentorum Aſſeſſores ſeu Conſiliarij, exemplo Senatorum Romanorum, quibus clariſſimatus dignitas conferebatur, Nobiles cenſentur: quod & in Curia Pariſienſi iudicatum fuerunt anno 1546. die 27. .... idq; extenſum ad Aduocatum

[d] Cynus in l. Prouidendum C. de poſtulando. Bart. & Luc. de Penna in l. Iudices C. de dignit. lib. xij. Baldus in l. Nemini C. de Aduoc. diuerſ. iud.

[e] d. l. Prouidendum.



uocatum & Procuratorem fiſci, quod & ipſi clariſſimi nuncupentur; [f] item ad Doctores poſtulantes in dicta Curia nobiliter tamen, vt aiunt, viuentes. [g] Cæterùm Iuriſconſultum hîc interpretor, qui Iuſtitiæ magis quàm iuris conſultus ſit; Nam ſunt quidam ἀχειροδίκανοι (vt Ariſtotelis verbo vtar) procul ab hac Nobilitate pellendi. Talem igitur Iuriſconſultum volo, qui Seruio Sulpitio ſit quàm ſimillimus, cuius præclaras laudes M. Cicero latè proſequitur. [h] Ne decem quidem nomenclatores hîc ſuffecerint nominandis glorioſiſſimis viris, qui hac fulti generi humano longè vtiliſſimâ arte ad Conſulatus, ad Rerup. gubernacula, ad ſummos dignitatum gradus peruenere. Eſt autem huius præſtantiſſimæ artis ea vtilitas commoditaſque, vt non tantùm res ciuiles ea regantur & politicæ, in quibus ſine ea penitus nihil fit; * imò citra eius adminiculum ipſe orbis diu nequeat conſiſtere: [i] verùm etiam & Eccleſia Dei gubernetur; quapropter ob ſolam iuris ſapientiam coniunctam cum morum ſanctimonia, multi in ſede Petri Apoſtolorum Principis collocati fuere, & vniuerſum Chriſti populum rexere; Contentus ero aliquot tantùm, qui poſterioribus ſeculis vixerunt, nominare. nam iam inde à temporibus Protopapæ Petri,

[f] L. laudabile poſt princip. l. reſtituendæ C. de Aduoc. diuerſ. Iud

[g] Guido Pap. deciſ. Delph. 388. Cuius initium eſt, Quoad Doctores.

[h] Nona Philipp.

* Auth. vt omnes obed. Iud. prou. in pr. coll. v.

[i] Auth. habita C. ne fil. pro patre.

Petri, multi in ordine Pontificum extitêre iuris vtriusque scientiâ præstantes viri: hîc primus sese offert ex Nobilitate Flisca Genuensis, Innocentius IV. qui etiam in tanto rerum fastigio collocatus, multa edidit & compilauit. Eadem arte sibi iter ad tantum decus fecere, qui hunc sequuti sunt, Pontifices Alexander Quartus Anagninus, Clemens Quartus, Gallus Narbonensis, Iurisconsultus totius Galliæ sine contentione primarius, qui in curia Regia integerrimè causas egit, vxorem habuit & liberos, qua defuncta, per gradus ad summum Pontificatum ascendit, Bonifacius etiam Octauus, ex Caietana Anagniæ patritiâ familiâ natus; in hoc numero censetur & Innocentius Sextus, Lemouicensis Gallus, qui & Procuratoris & Iudicis Officio ante adeptum Papatum functus memoratur. Non silebo Petrum de Luna in Aragonia, natum familiâ Nobilissimâ, præstantissimum legum & iuris canonici interpretem, qui mortuo Clemente Septimo Auinione contra Bonifacium Papam Nonum in schismate Pontifex à magna Cardinalium parte dictus est Benedictus Decimus-tertius in obedientia sua nuncupatus. Fuere superioris Ordinis Gregorius Vndecimus Lemouicensis Baldi discipulus, & Vrbanus Sextus propter huius sciẽtię cum sanctis moribus

coniunctam famam extra Cardinalium collegium præter obseruatam consuetudinem, Pontifex renuntiatus. Item Innocentius VII. Sulmonensis, & Martinus V. & Calixtus III. anteà Alphonsus Borjia cognominatus, Innocẽtius VIII. & qui nostrâ ætate vixêre Iulius III. & Pius IV. Marchionis Melignam (cuius supra magnificè meminimus cum de arte militari dissereremus) frater germanus: vixit nuper & ad Ecclesiæ Catholicæ clauum sedit Gregorius XIII. ante adscitam Pontificalem tiaram Hugo Boncompagnus nuncupatus, qui iuris arte quum excelleret, quam in amplissima Bononiæ Academia eadem natali solo, in omnium ferè nationum frequentissima corona, cum admirabili applausu aliquot annos docuisset: propriâ virtute Duce, ad apicem omnium honorum venit, & in altissimo solio locatus est. Odiosus sim si Cardinalium Iurisconsultorum turbam perinde hîc recenseam. Nolo tamen illos qui ante paucos annos, adhuc in viuis fuere, ignobili silentio præterire. Vixerunt igitur purpurati Ecclesiæ vniuersalis Senatores, & vtriusque iuris Doctores Flauius Vrsinus Ducis Grauinæ filius Romanus, Archiepiscopus Consentinus, ante aliquot annos Auditor (vt vocant) Cameræ Apostolicæ, S. item Carolus Boromeus

Archiepi-

Archiepiſcopus Mediolanenſis, Gabriel Paleottus ciuis & Epiſcopus Bononienſis, Franciſcus Alciatus Andreæ agnatus; quorum duo poſteriores etiam in præclariſſimis Italiæ ſcholis iura ciuilia interpretati ſunt, & editis commentariis, illuſtrarunt. Hi omnes in Cardinalium Collegium à Pio IV. Pontif. Opt. Max. ſunt adoptati. His acceſſerunt à Pio V. acciti Ioannes Paulus ab Eccleſia Terdonenſis, anteà ampliſſimi Senatus Mediolanenſis Senator, & Ioannes Aldobrandinus Florentinus Epiſcopus Imolēſis, viri ſanctiſſimi & iuris conſultiſſimi. Hi Templi Dominici & Chriſtiani gregis columellæ & paſtores, prudentiſſimis conſiliis ſuis & incredibili vigilantiâ, hac tam periculosâ tēpeſtate, ſuſtinuêre collabantem Eccleſiæ ſtatum; hi cadenti religioni humeros velut Hercules ſuppoſuerunt, qui ab ipſis crepundiis iura ciuilia trementibus adhuc prę ætate labris imbibêre, maiores facti, de ſublimiori loco, docuere, Sacerdotes coluere, Cardineo fulgentes honore, eorundem poſſeſſionem retinuere. Eſt igitur Iuriſprudentia prænobilis illa rerum Domina, quâ reguntur vniuerſa,[k] quæ & addiſcentes & doctos nobilitat,[l] illuſtrat, confert Magiſtratus,[m] honores conduplicat,[n] neminem in paupertate viuere ſinit, neque in anxietate mori,[o] & (vt ver-

[k] d. Auth. vt omnes obed. Iud. proui. In coll. v.
[l] d. l. Prouidendum.
[m] In proęmio Iuſtit. c. finē.
[n] c. Venerabilis de Præbendis.
[o] Auth. de hęred. & falc. In fine col. 1.

bo claudamus) ſuis profeſſoribus per orbem terrarum cauſam dat triumphandi , & dominandi, eoſque immortali gloriâ, poſt mortem afficit. Iuris arti finitima eſt dicendi grauior , gratior & ornatior facultas,& ad Nobilitatem(qua de agimus) breuiſſimum præbet iter. Quid enim eloquentiâ laudabilius & præſtabilius , vel admiratione audientium, vel ſpe indigentium ? quàm latè patent diſerti hominis officia ? Quanta admiratio copiosè ſapienterque dicentis , quem qui audiunt, intelligere & ſapere plus quàm cæteros arbitrantur ? Meritò igitur fuit ſemper apud maiores noſtros hæc ars facta maximi,quam natura ad ſalutem hominum & conſeruationem dedit,& ſine qua Reipub. ſtatus non poſſit diu conſiſtere. Quantâ auctoritate & Nobilitate præſtitêre inter ciues ſuos Romæ Hortenſius , Cicero, Craſſus , Marcus Antonius; Athenis Demoſthenes , Iſocrates ! Ad hanc ſanè capeſcendem Piſonem monuit Vates Sulmonenſis, & vt maiores ſuos,qui arte militari nobiles fuiſſent , eloquentiæ laude præcedere conaretur, his verbis :

Quin age Maiorum iuuenis facunde tuorum "
Scande ſuper titulos , & auitæ laudis honores, "
Armorumq; decus , præcedè forenſibus actis. "

Sic

" *Sic etiam magnæ iam tunc Cicerone iuuentæ*
" *Laurea facundis cesserunt arma togatis.*

Verum enimuerò suprà (vbi de Iustitia egimus) diximus, alteram eius partem esse beneficentiam, de qua quòd plurimum adimenti adferat ad comparandam gloriam, familiævè splendorem, (& locus non est importunus) hîc mihi differendum puto. Liberalitatem igitur exercere est, fuitque semper plausibile; Largitione enim delinitur multitudo, eiusque voluptas titillatur. Porrò Liberalitatis duplex est ratio; nam aut opera benignè, aut pecunia impenditur. vtraq; splendido & viro forti digna, quum in vtrauis insit gratificandi liberalis voluntas, & altera ex arca & re familiari, altera verò ex virtute depromatur. Liberales igitur sunt qui suis facultatibus captos à prædonibus, aut hostibus redimunt. Fabius Maximus qui cunctando rem Romanam restituit, captiuos ab Hannibale acceptos redempturum se pollicitus, Senatu recusante, vt id de suo faceret, fundum vendidit; liberalium est, nexos ære alieno soluere, aliis opitulari in re quærenda, vel augenda, & more Christianorum, paruulos nutrire, pupillos, orphanos & viduas tueri, Virgines inopes connubio locare, esurientes pascere, nudos vestire, nobiles ignobi- Liberalitas.

lesque paupertate & valetudine oppressos iuuare. Hęc via ad ardua ducit. Liberalitate & munificentia in Repub. Romana iter sibi ad Magistratus fecere, P. Crassus Diues, L. Crassus, Q. Mutius, C. Claudius Appij filius, multi Luculli, Hortensus Sullanus; omnes autem P. Lentulus Consule Cicerone vicit munificentiâ superiores, quem Scaurus est imitatus; magnificẽtissima verò Pompeij munera secundo Consulatu, sic & ipse Cicero Magistratus adeptus est. Notum autem est quàm multi posteà ad Imperij fastigiũ sublati sunt hac munificentiæ arte, dum ea aut legiones aut populum deliniunt. Pelops etiam barbarus & aduena in ea Græciæ parte, quæ ab eo Peloponnesus appellata est, hac arte rerum summam obtinuit; sed imprimis memoranda est illa C. Pontij Samnitis vox optimè diserteque Liberalitatis & munificentiæ energiam explicans. Vtinam (inquit ille) tunc essem natus, quando Romani dona accipere cœperunt, non essem passus diutius eos imperare; & Iugurthæ Numidarum Regis discedentis ab vrbe, reflectentisque oculos, ac dicentis: O vrbem venalem & citò perituram, si emptorem inuenerit. Verùm, ad compescendam hanc largitionem immodicam, & ambitionem, legem ambitus sanxere Romani, quæ tamen etiam reticuit sub Impera-

peratoribus. Eâ verò ardor ille imperandi, mentibus hominum insitus ac munificentia comprimebatur: primoq́ue loco in libera Repub. dignus iudicabatur, qui sciret cupiditatibus suis imperare, refrænare libidines, spernere voluptates, iracundiam lenire, auaritiã coërcere, se ipsum vincere, nullis illecebris capi, aduersis non perturbari, nec extolli secundis, & quasi vento huc & illuc impelli, cæterasq́ue animi labes repellere. Sic L. Philippus Q. Filius vir. magno ingenio, imprimisq́ue clarus, gloriari solebat, se sine munere adeptum esse omnia, quæ haberentur amplissima. Dicebat idem Cotta. In hoc itaq; genere largiendi, si id gloriosum nobis esse volumus, exercendi causam, tempus, rationem, dignitatem, tum nostram, tum personarum in quas liberales esse volumus, considerabimus. Consulendum profectò est famæ rebus in omnibus, non dedecus quærendum, etiam cum dispendio rei familiaris. Nam qui nunc pretio sibi Magistratum parat, is certè cum magna iactura legis Iuliæ sibi quærit infamiam. Tenenda est igitur hac in re sicut in ceteris omnibus mediocritas, & vt honesta, & legitima largiendi causa sit; Non enim in quemcumque, & ob omnem causam, liberales esse debemus, sed erga bene meritos, & propter virtutem,

præmio dignos; nam præclarè Ennius: Benefacta malè locata, malefacta arbitror; propensior Liberalitas esse debet in calamitosos (vt suprà diximus) nisi fortè digni erãt calamitate. Danda igitur opera est illi, qui Nobilis audire vult, & reuerà esse, vt in quamplurimos liberalis sit & benignus. Quę quidem benignitas Reipub. vtilissima est, cuius interest tenuiores ciues locupletari. Hanc ergo consuetudinẽ benignitatis, largitioni munerum, vt nobiliorem, anteponendam arbitramur. Cauebimus prætereà Ciceronis præcepto, ne maior sit benignitas quàm facultates patiantur, néve res familiaris ita claudatur, vt eam Liberalitas aperire non possit. Item ne L. Syllæ, C. Marij, Cinnæ, M. Lepidi, M. Antonij exemplo, pecunias & res transferamus à iustis Dominis ad alios malæ fidei possessores: nam hæc non viri liberalis, sed stulti & latronis videri debent; & quanquam quod præsens tanquam in manu datur, iucundius & plausibilius esse solet: gratissimæ tamen sunt impensæ & ei qui gloriam quærit vtilissimę; nam ita se extendunt, vt non viuentes modò, verùm etiam posteritatem complectantur. Cuius generis sunt, Deorum templa, Aræ, Muri, Naualia, portus, aquarum ductus, porticus, pontes, viæ stratæ, amphitheatra, fora, Circi, & si quæ sunt alia,
quæ

quæ ad totius Reipub. commoditatem, & uſum, in diuturum tempus manentem pertinent, quarum rerum donatione vel (vt rectiùs dicamus) magnificentiâ, ſummam authoritatem, beneuolentiam,& Nobilitatem,ſibi apud Romanos conciliarunt Appius, Flaminius, Lucullus, ac alij, qui huius generis opera non in vrbe tantùm, ſed per vniuerſam Italiam priuato ſumptu conſtruxere magnificentiſſima: quorum adhuc multa viſuntur veſtigia, celebranturque eorum nomina, quæ ob tantam Liberalitatem apud omnem poſteritatem manebunt immortalia; ſuperiori certè ſæculo hac animi dote imperium in Repub. Florentina & peperit & ſtabiliuit Coſmus ille magnus Mediceus, cuius tot extant & cernuntur templa, monaſteria, Bibliothecæ,ædes priuatæ, & Florentiæ & extra, vt nemo in tota Italia magnificentius ac ſplendidius ab eo tempore ædificauerit; quamuis idem Rempub. illam & patriam ſuam, aliis immenſis beneficiis cumulauerit, ſemper coluerit, maxima bella & grauiſſimas inimicitias pro illius incolumitate ſuſceperit. Liberalitatis pars eſt hoſpitalitas, quam tantopere laudauit Theophraſtus. Eſt enim maximè decorum, hominum illuſtrium domos hoſpitibus patere; idque etiam eſt non ipſis hoſpitio excipientibus tantùm, ſed

Hoſpitalitas.

etiam Reipub. ornaméto, homines externos hoc liberalitatis genere non egere; est autem vtile & vehementer commodum his, qui ad magna tendunt, per hospites apud externos populos auctoritatem, gloriam, & beneuolentiam sibi comparare. Gillas Agrigentinus omnium qui vnquam fuere liberalissimus, spectacula edendo, epulas apparando, annonam in caritate rerum subministrando, virgines dotando, domum propriam adeò liberalitatis officinæ & hospitalitati adscripserat, vt quingentos equites Gelenses vi tempestatis in prædia sua compulsos, propriâ impensâ aluerit. Theophrastus etiam (vt auctor est Cicero) scribit Cimonem Athenis etiam in suos curiales Latiadas hospitalissimum fuisse, ac eo nomine magnam gloriam quæsiisse; ita enim dicitur instituisse, & villicis imperauisse, vt omnia præberentur, quicumq; Latiades in villam suam diuertisset. Libet hîc narrare obseruatum superiori sæculo in Flaminiæ vrbe Cæsena,[m] morem meherclè memorabilem; ibi cùm publicorum diuersoriorum nullus penè esset vsus, accidebat vt singuli illius Ciuitatis patritij ciues, quum primùm hospitem conspexissent, eundem vellent in domum suam recipere. Hospitalitatis studio ità certantes, vt non raro res à rixis ad conflictum veniret. Quamobrem

[m] Hac potissimum ratione cępit Cæsena esse illustris.

obrem prospecta fuit via quâ, saluâ cuique humanitatis & hospitalitatis famâ, hospites exciperentur. Locata enim fuit in fori vmbilico columna, ac in ea circumfixi tot annuli ferrei quot essent nobiles familiæ, vtque sorte sic omnis tolleretur controuersia, cautum fuit, vt ad cuius familiæ annulum alligasset hospes equum (omnes enim notis distincti erant) in illam familiam aut domum diuerteret. Sacra quoque Scriptura sparsim nobis proponit exẽpla hospitalitatis & inhospitalitatis; nominatim verò Euangelium, Christo seruatori exhibitæ vel denegatę. Lucæ 10. Marthæ & Mariæ celebratur hospitalitas, quæ & cap. 11. apud Ioannem descripta est. Abraham hilariter excepit peregrinos, occurrit illis quos aduenas iudicabat, honorificè salutauit, operâ suam obtulit cum obtestatione, conuiuia extruxit, sed & stans edentibus ministrauit, abeuntes deduxit. Genes. 18. Simile est exemplum Genes. 19. in Lotho. Expectat peregrinos quasi data opera quæsiturus, oblatis accurrit, amicè salutat, seruum sese illorum nominat, pręstat officia ciuilitatis, nolentes etiam cogit; Demum salutẽ illorum pudori filiarum præfert. Eodem ciuilitatis genere egit Rebecca Laban. vnde colligi potest hospitio excipientis tres esse primarias virtutes: Hilariter excipere, affabiliter &

E libe-

liberaliter tractare, demum amicè demittere. cuius rei monitor nobis est Homerus: Χρὴ ξένον παρεόντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν, significans præsentem hospitem liberaliter excipiendum & tractandum, suo verò tempore amicè demittendum. Quæsiuere in hac re magnam laudem homines ethnici; hinc illa ambitiosa vocabula πρόξενος ἐθελοπρόξενος δορύξενος, ἀπόξενος, ξεναγὸς ἰδιόξενος. Epistola ad Hebreos 1. 13. Hospitalitatis, inquit, ne sitis immemores; per hanc enim quidam inscientes excepepere Angelos hospitio. Est sanè hæc virtus verè heroica; ignobilissima autem ei contraria inhospitalitas, quâ etiam qui nobiles erant vilescunt, Nobilitatem omnem deperdunt, & in ordinem coguntur, etiam Reges. Nota est Lycaonis Arcadiæ Regis fabula, qui cum aduenas & hospites trucidaret, Iouem in se accendit. Nam Iupiter immanis sceleris impatiens, & in Deos querемonia delata, & simulatâ hominis specie ad Lycaonis Regis regna venit, & in eiusdem domum diuertit, cui Lycaon mortem præparans, prius humana membra deuoranda, velut hospitali humanitate, proposuit. Postquàm hoc sensit Iupiter, non eum penitus interimere voluit, ne non supplicium

plicium sentiret, sed in lupum conuertit; nec cõtentus fuit Iupiter omnes homines Lycaonis supplicio terrere, nisi in vniuersum hominum genus sæuiisset. Inde demum fecit tantam aquarum copiam redundare, vt opertis diluuió montibus cuncti homines interirent. Vnde quum tam atrociter fuerit hoc vitium punitum, datur colligere, quantam laudem mereantur, & gloriam, qui sanctissimam hospitij tesseram seruant inuiolatam, & generosum hoc gloriosumque benignitatis genus frequenter exercent. Sed quum repeto, quę paulò antè de Liberalitate, & superiùs de partibus in Nobilitatis definitione contentis diffusè copioseque disputauimus: prope necessariæ mihi ad Nobilitatem diuitiæ & opes videntur, cum sine earum adminiculo, nec Liberalitas, nec aliæ complures præstantes virtutes commodè exerceantur, Nam quamuis liberale existimetur in exigendo vel accipiendo non esse auidum, in omni re contrahenda præbere se facilem, de suo iure cedere, à litibus abstinere, quantum liceat. Ea tamen liberalitatis portio magis hominem illustrat, quæ in largiendo, auxiliando, & impensas faciendo consistit. Nobilitatem igitur sine diuitiis quodammodo mancam censemus, in quâ certè sententiâ etiam Aristotelem olim fuisse inuenimus, dicentem

Diuitiæ.

Lib. πολιτικῶν 3. cap. VIII.

sibi videri nobiles quorum maiores virtute & diuitiis floruissent, sed & diuus Hieronymus Christianæ Doctor Philosophiæ, Nobilitatem mundi nihil aliud esse scriptum reliquit quàm inueteratas diuitias. Hisce sanè domesticus splendor acquiritur, conseruatur & amicorum quorum frequentiâ Nobilitas indiget, gratia retinetur. Quamobrem & Aristoteli propemodum impossibile visum est, præclarum aliquid ab eo fieri, cui desint facultates; in qua etiam sententia & Satyrographum fuisse cognouimus, qui dixit:

Haud facilè emergunt quorum virtutibus obstat «
Res angusta domi, sed Romæ durior illis «
Conatus «

Neque hoc abs re est quòd diuitiæ alio nomine opes dicantur, quum opem, id est, auxilium optimum, ad res agendas conferant. eædem à maioribus nostris facultates vocatæ sunt: quòd scilicet rerum propè omnium facultatem, ac veluti facilitatem quandam præbeant, Græcorum imitatione, qui opulentiam & facilitatem vno verbo nuncupant. Hinc Iurisconsulti nostri voluêre pecuniæ appellatione res omnes contineri, [a] tanquam scilicet, res omnes is consequutus sit, qui eam habet. [b] Porrò diuitiæ à maioribus acceptæ pluris

[a] L. Pecuniæ ff. de verbo signif. c. totum 19. num.
[b] Bald. in l.

pluris in Nobilitate æſtimantur, quàm recenter partæ, quod etiam ad Theodecten ſcribens cenſuit Ariſtoteles. [p] Nam & ſemper alias νεοπλούτους, id eſt, nuper ditatos, ſiue repentè diuites factos, veluti improbos & inſolentes taxarunt omnes iuſti rerum æſtimatores, [q] & Plinius; [r] Cõſtitutum eſt enim, inquit, ne cui ius annuli eſſet, niſi cui ingenio, ipſi patri auoq́ue paterno ſextercia quadringenta cenſus fuiſſent. Vnde patet patris facultates non ſatis fuiſſe, ſed auitas etiam neceſſarias ad ius aureorum annulorum impetrandum. Sed vt concedamus, quod certè veriſſimum eſt, negarunt tamen nonnulli, ſolas diuitias non nobilitare: illud certè adſtruere non verebimur, eas penè ſemper dare cauſam Nobilitati; id enim iuris noſtri authoribus quoque placuiſſe videmus, [ſ] nam dignitatis & honoris plurimum iis ineſſe putatur, quum etiam in magiſtratibus conſequendis diuites pauperibus præferantur. [t] Notiſſimum eſt illud Scipionis Æmiliani, cùm Seruius Sulpitius Galba & Aurelius in Senatu contenderent, vter aduerſus Viriatum in Hiſpaniam mitteretur, rogareturq́; ipſe Scipio quæ eſſet eius ſentẽtia? Neutrum (inquit) mihi mitti placet, quia alter nihil habet, alteri nihil ſatis eſt; æquè malam Imperij magiſtram iudicans inopiam ac auaritiam [u].

Receptitia, C. de conſtit. pecunia.

[p] Libro 2. Rhetoricῶν.

[q] Vide Demoſthenẽ in Oratione περὶ τῶν πρὸς Ἀλέξανδρον συνθηκῶν & innumeri Græci & Latini ſcriptores, idem teſtati ſunt.

[r] Libro 33. cap. 2.

[ſ] Barth. in l. 1. C. de dignit. lib. XII. Bald. in C. Sedes de Reſcriptis.

[t] L. reſcripto in princip. ff. de munerib. & honorib. l. ad ſubeunda & ibi Lucas de penna, C. de Decurionibus. lib. x. Ariſtot. libro 3. πολιτικῶν. Plutarch. in vita Solonis.

[u] Refert Val. Max. lib. VI. cap. 4.

Nobilitas patriæ.
Eſt & aliud reliquũ, quod ſi non adſit, vix eſt vt quis nobilis dici poſſit, Patria nimirum illuſtris & nobilis; quocircà Nobilitatem iterum diuidemus, eamq́ue duplicis ſpeciei faciemus. Prima quidem vt ſit Ciuitatis vniuerſæ vnde originem trahimus, vbi nati ſumus; Altera ſingularum familiarum aut ſtirpium. Ad illum modum Nobilem dicimus Lacedæmonem, quòd viros peperit complures qui conſilio & ope ſuâ patriam tutati ſunt, & innumeris beneficiis obſtrinxerunt: idem de Roma. Altero modo Fabritios, Horatios, Iulios, Pompeios, Octauios, illuſtres nobileſq́ue fuiſſe Romana nos docet hiſtoria. Hoc ſanè plæriſq́ue viſum fuit, vt qui non eſſet vtrumq́ue hunc & patriæ & familiæ nactus ſplendorem, vix inter nobiles nomen habere poſſet. Aiunt enim vix fieri poſſe, vt in ignobili ciuitate illuſtria ſtemmata, & gentes exiſtant. Quo enim pacto potuiſſet eius ciuitatis nomen obſcurum & ignobile remanere, ſi lumen ab illuſtribus familiis accepiſſet? Potiſſimum igitur Naturæ beneficium, ſi clarã patriam nactus, & in ea educatus ſis; huc facit Italorũ prouerbium: Ignobilis & infelix ea demum eſt auicula, quæ in ignobili & obſcurã valle naſcitur. Et Symonidis Poëtæ Lyrici ſententia; Oportere eum qui beatè vult viuere, patriam habere glorioſam;
&

& Euripidis apud Plutarchum in vita Demosthenis, debere primum illustri patria prognatum esse, quisquis felix futurus sit. Cicero etiam lib. 3. Rhethoricorum ad Herennium, vbi de genere demõstratiuo loquitur, laudem dicit esse rerum externarum, & corporis & animi, inter ea verò quæ sunt rerum externarum, ciuitatis quoque laudem ponit, quasi laus quoque ex ciuitatibus sit hominibus; Alexander Seuerus cum Syrus esset, volebat tamen videri traxisse originem de Romanorum gente, cumque pudebat Syrum dici. Antonius ignobilitatem obiiciebat Octauio, quod Matre Aricina natus esset (vt refert Tullius) tanquam scilicet ex ignobili vrbe ea esset, & quod Suetonius retulit ex pago Thurino. Notum est ex Plutarcho, * in vita Themistoclis, Themistoclis inclyti Atheniensium ducis Apophthegma, qui Seriphio cuidam obiicienti quod non ex sese, sed ob patriæ, quam diuino numine nactus esset, nobilitatem, nobilis erat, & clarus. Vera, dixit, prædicas, neque enim ego si Seriphius essem clarus essem, neque tu si Atheniensis; non inficiatus vrbis celebritatem multum facere ad claritatem, atque illum innuens tam esse ignauum, vt etiamsi natus esset Athenis, nihilominus fuisset obscurus futurus. Possent tamen adduci

3. Philipp.

* In vita Themistoclis

multa in contrarium, quibus probaretur loco non nobilitari hominem, sed locum homine. Verùm ea vt nimis Philosophica, & ad Stoicam quandam nobilitatem facientia, huc ad ferre noluimus. Hæc ferè sunt, Illustrissime Marchio, quæ maximè ad Nobilitatem ianuam patefaciunt, nam alia quædam quæ eò etiam, sed non ita necessariò facere videntur, sciens omitto. Vt igitur quisque erit Iustitia, benignitate, fortitudine Iuris ciuilis & Eloquentiæ laudibus, patria & diuitiis clarissimus, ita idem erit & nobilissimus. Quocirca pudeat pigeatque multos huius infelicis ætatis patritios, & nobilium familiarum viros, qui ignobiliter viuentes, blasphemias in diuos euomere, contumeliis conciues onerare, iniuriis lacessere, iniurias illatas ferro, flammâ & rapinâ vlcisci, clientes miserè expilare, enecare, thori coniugalis sacro-sancta Iura violare, fidem in contractibus fallere, pro iocis habent & ludis; sibiq; specioso stemmatis nomine perplacent, & satis adferre ad tuendam illustris familiæ dignitatem arbitrantur, si bene pexi, benè loti, diuersicolore serico aureâ argenteaque veste amicti, collum torque honestatum, brachia armillis, gemmis articulos, calceos lunâ insignes ostentent, si cuiquam olentes vnguenta exotica,

In Nobiles mancipia viciorum.

&

& Arabicas fruges, accipitrem circumferant, si domi opiparè epulentur, si plenissimos mero cantharos exhauriant, si in multam noctem mero certent, aut chartis pictis, tesseris, latrunculis fraudulenter & auarè ludant, sæpè à ludis ad conuitia & contumelias transeuntes, aut denique si equos alant, aut canes ad venandum; Non est hæc mediusfidius Nobilitatis, aut acquirendæ, aut retinendæ ratio idonea, nam qui naturæ humanæ dignitatem, ne dicam Nobilitatis excellentiam considerat, intelligit quàm turpe sit diffluere luxu, molliter & delicatè viuere, quum Natura (vt ait Philosophus) paucis minimisque sit contenta: fidem autem & promissionem fallere, quum omnibus hominibus dedecorosum sit: tum maximè Nobilibus, quorum nuda promissa (vt dici solet) pro factis habenda sunt. Id est, si quicquam promiserint, id peræquè esse certum ac indubitatum ac si iam factum esset. Scribit Seruius Virgilij interpres promissa Deorum pro factis esse.[a] Nobiles verò olim genus ad Deos referebant. Nobilitatem etiam maximè luxuria dedecet & libido, quam in plebeis leges nostræ non vsq; adeò damnauere.[b] Nuptiarum verò sacrilegia committere, ideo Nobili viro ignominiosissimum: quod graues & magni viri adfirmauere,[c] Nobiles impen-

a Lib. XII. Æneid.

b L. fœdissimæ, C. de Postl. reuersis, l. in concubinatu ff. de Concubinis.

c Oldrad. cōsil. xcv. ex forma istius statuti, col. penult. per tex. in l. Si vxor. §. planè ff. de adulter.

Alb. Rof. in 2. parte Statutorum quæst. CXLIIII. de Statuto legis col. vlt. & in l. Donationes quas diuus col. 2. C. de donat. inter vir. & vxor.

d Lib. Iliados IX.

sius diligere vxores suas, quàm cæteros, & quo quisque nobilior est, eò vxoris naturaliter esse amantiorem: idque voluit pater omnis virtutis Homerus, [d] Nam solis hominum Atridis affectus amorque vxorum est; Atridas doctissimi quique hic Nobiles interpretantur, vnguenta verò & pastillos olere & mollibus vestiri, Nobilibus etiam cum indecorum tum inutile: In ea disceptatione quam inter Alexandrum & Diogenem aliquando fuisse Dion scribit: vexari humanum genus ab aliquo quatuor dæmonum ostendit, quorum illum certè secundum appellat, qui voluptati sacrificat, & Deam ipsam colit variis odoribus ac saporibus gaudentem. Hic autem dæmon (vt idem affirmat) auditum, gustum, tactum quomodo potest mirificè delectat, balnea frequentat, molles amat vestes, muliebres amplexus expetit. Hæc Dea nimirum est ipsa Circe quæ Socios Vlyssis in porcos mutat, qui deinceps, vt timidi & ignaui publicis ac priuatis rebus inutiles sunt. Seruanda est igitur viro nobili in victu cultuque & tota vitæ ratione mediocritas, ob modestiam & valetudinem, ac patriæ salutem. Quî enim fieri potest, vt qui delitiis assuetus est huiusmodi, quando vrgebit necessitas, famem, sitim, puluerem, solem, frigora, niues, & alia incommoda pro

Repub.

Repub. patiatur? Concidere certè animis & corporibus in quouis etiam negotio exiguo oportet, qui Sardanapolos, Antonios, Heliogabalos, Caracallas, Othones imitantur. Vt ergo lumen istud Nobilitatis non obscuretur, danda est opera enitendumque, vt bonis corporis & animi ad vtilitatem communem; bonis item fortunæ ad similem effectum, vtantur viri nobiles, vt sint præsidia ad splendorem hunc politicum, qui vitiis obscuratur, virtute autem redditur clarior, conseruandum. Virtutem igitur posthabitis cupiditatibus omnibus luxu & vitiis, qui non amplectitur neque se totum præbet iuuandæ patriæ conseruandæque hominum societati: vt in tanta hominũ multitudine Nobilis sit & ingenuus, fieri non potest; rectissimè enim dixit Socrates, nullam differentiam esse inter baiulum & Alcibiadem summo loco natum, si virtus abesset. Porrò quæ proximè de molli & delicato Nobilium vestitu loquuti sumus, non in eam partem accipi voluimus, quasi existimemus preciosiores & ornatiores vestes Nobilibus non conuenire. Nam per omnes id ferè ætates obseruatũ fuisse scimus; vt ipsi præter cæteros ciuium ordines splendidius & preciosius vestirentur, idque Iuris nostri authores multis locis æquum esse cẽsuere, [e] subinde in plebeios

[e] Alber. in l. 2. C. quæ res vendic. non poss. & alij quos ibi citat. Lucas de penna, in l. Mulieres col. penult. vers. 28. C de Dignit. Lib. 12.

inuecti, eorumque vxores qui vestibus, quas Nobilibus tantum vsus & mos concessit, arroganter vtuntur; Scriptumq; reliquere si fieri contingat, vt vir Nobilis viliori veste ob inopiam indutus verecundia præpediatur domo egredi, vt suas res agat, eum beneficio in integrum restitutionis iuuari aduersus temporis lapsum, [f] & apud Euripidem in Helena Menelaum pudet, sese palam exhibere, propter squallidam suam, & pannosam, quâ induebatur, vestem. Patritius ordo apud Romanos purpurâ vtebatur, non etiam cæteri, quod tamen abusu abolitum fuisse, conqueritur Iuuenalis Satyra 3.

[f] Vt voluit Nic. Neap. in l. in eadem ex quibus caus. maiores per illum textum in illis verbis cc. Qui ita alligati sunt, vt sine dedecore in publico apparere non possint. Et id sequitur Gerald. à Petra Sing. LXXXII.

Æqualis habitus illic similémque videbis
Orchestram & populum.

Latusclauus certè Senatorij ordinis erat, tunica, scilicet purpura prætexta, latior longiorque tunica vulgari ac discincta, cui toga superinduebatur. Prætexta etiam Nobiliorũ erat, toga viliorũ; hinc idem Poëta Satyra 8. plebẽ togatã appellat, quam paulò antè imam vocarũt. Sed id de posterioribus temporibus intelligendũ est; antiquioribus enim, erat toga omnibus ordinibus communis. Vnde Virgilius etiam Romanos gentem togatam vocauit; Et vt ad exteros eamus, Auctor est Philostra-

apud

tus [a] apud Indos, nemini nisi nobili orto familiâ licitum fuisse byssum induere. Apud Parthos Nobiles Anaxicidem triplam induebant, & tunicam manicatam, quâ tamen non sine probro vtebantur Romani veteres, quemadmodum videtur significare Cicero, dum in gregem Catilinæ inuehitur, & Virgilius de fæmineo Paridis comitatu. Plebs verò apud Parthos tunicam sine manicis gestabant, Antiqui Germani Nobiles preciosa veste vtebantur, non quidem fluctuante, sed stricta & singula membra ac artus exprimente, ceteri sagis cum fibula, [b] hodie Nobiles Germani, non veste tantùm, sed etiam fœmoralibus fluctuantibus vtuntur. Nobilium Gallorum vxores, virgines, & viduæ mundum capitis gerunt ex holoserico, quem plebei gerunt ex panno laneo; & hæc inter illas est notoria & manifesta differentia: sic etiam hodie in vniuersa Italia Nobilitati suus est in habitu splendor, & ornatus peculiaris; Venetis patritiis vestitus ater laxitate ac prolixitate insignis & in hoc vrbicus municipali sumptusior. Muliebris sexus sumptuosius & luxuriosius vestitur; nam vlnas, pectus ac humeros nudant; Mediolanensibus ac toti ferè Longobardiæ, Nobilibus est floridior, contractior, pretiosior & versicolor vestitus; Romanus frugalior, sed cui suus non desit nitor, præ-

a In vita Apollonij libro 2.

b Cornel. Tacitus libro de Morib Germanorũ, vbi etiam idem dicit, de Sarmatis.

ſertim in matronis, quæ violacei coloris vtuntur veſtibus & mundo capitis albiſſimo ex diuerſis laxis, prolixè propēdentibus peplis. Nobiles Neapolitani ſericis magis, quàm cæteri ferè Itali vtuntur, quorum veſtiendi modus Hiſpanicum imitatur, ſed non vnus idemque ſemper hic habitus, quippe quem noſtrâ memoriâ ſæpiùs variari contigit. Nunc ſi tempus quæramus à quo primùm tempore Nobilitas [c] eſſe in præcipuo honore cœpit & veneratione: iam inde profectò quum genus mortalium eſſet adhuc in montibus, antris & nemoribus diſſipatum aſperâ ſilueſtrique naturâ, & moribus horridum, nullis paulò politioribus inſtitutis aut ciuili cōuerſatione excultum. Excelluere enim tunc temporis nonnulli viri præſtantes, vt ſuprà & vbi de Iuſtitia egimus, meminimus nos dicere qui diſperſos illos greges Sylueſtrium hominum in vnam cogerent multitudinem, & agreſtes illorum animos emollitos ad ciuilitatem formarent; hæc ſanè confictis ad rem aptiſſimis fabulis cecinerunt Poëtæ de Orpheo, Amphione, & aliis, qui dulcedine cantus & blandis precibus dicunter ſaxa & feras commouiſſe; Hoc eſt, (ſi mythologiam ſequamur) efferos homines & ſtupidos, iidem illi præſtantes viri, ſic cicuratis hominibus beneficia beneficiis cumulantes melio-

c De antiquitate Nobilitatis politicæ.

res

res operas nauarunt & villas, pagos, oppida, vrbes, suis locis struxerunt ad propulsandas iniurias, & ciuilem vitam colendam, aptissimas prouincias & agros diuiserunt, vt quisque suo contentus, sibi victum quæritaret, nec aliena inuaderet; homines per tribus & vicos in ciuitatibus diuisere, & in domo patrem-familias suis præesse voluere; breuiter omnem politiæ & œconomiæ rationē bardos illos homines docuere, & aliis infinitis modis rem communem iuuerunt. Vnde homines intellexerunt, quātum nobilis & generosus animus humili & plebeio præstaret; hos ergo tantū suspiciebant in viuis agentes: vt quamdiu homines tam benefici, & sibi vtiles viuerent, omnem illis sui regendi potestatem & habenas traderent, qui propter diuinam mentis aciem & animū singulari sapientiâ, & industriâ dotatū, quo quid vniuersitati hominū conueniret, & videre prudenter & perficere constanter possent, maximè digni videbantur. Quam quidem ingenij & industriæ præstantiam aurum diuinū vocat in Phædro Socrates; à sapientibus enim traditum est, hominū quosdam ferreis, alios æreis, quosdam argenteis animis gigni: esse etiam paucos illos quidem, sed tamen nonnullos quibus aurea animorum vis & natura data sit, vsq; scorsum regendarum ciuitatū & populorum

munus à Deo datum & assignatum, illos alios quo sua quemque aut duritia aut vilitas impellat ferri; Hos igitur prudentes & industrios rerum suarum administratores & arbitros dum viuebant, maximè obseruabant, vitâ functos colebant, diuis debitos honores conferebant, templa consecrabant, litabant, ac eos in Deorum numerum referebant.

Romulus (inquit Horatius) *& Liber pater, &* "
cum Castore Pollux. "
Post ingentia facta, Deorum in templa recepti, "
Dum terras hominúmque colunt genus, aspera "
bella "
Componunt, agros aßignant, oppida condunt. "

Et si secus quàm decebat in Reipub. moderamine se habuissent, eos (vt auctor est Herodianus) iidem Diris deuouebant, inter malos genios reponebant, & cum Sacerdotibus suis ad templorum aras conueniebant, ac palàm precabantur Deos ne tam iniquis & malæ notæ Regib. seu administratoribus inter Cælites locum esse permitterent. Quem deuouendi moré Siculi obseruasse mihi visi sunt, quum Insulę suę Proconsulé quem vice-Regem vulgus vocat, pessimum nacti & inutilem execrati primùm, dein cum huiusmodi Epitaphio sepelirent,

Qui

" *Qui propter nos homines*
" *& propter nostram salutem*
" *descendit ad inferos.*

Eadem antiquitas præstantium illorum Rectorum liberos omni beneuolentiæ & obseruantiæ genere prosequuta est. Primùm mouebant homines recentia patrum facta illustria, quibus ita manserant deuincti & obligati, vt posteritati eorum dignam gratiam referendam esse existimarent; dein verò experti etiam liberis ingenitam maiorum effigiem non exteriorem solùm in corporũ lineamentis, sed intrinsecam quoque in anima & ingenij indole: iam non tantùm parentum iucundâ memoriâ, verumetiam indolis admiratione prouocati totam gẽtem & posteritatem maximopere obseruarunt, coluerunt, amarunt, & Reipub. gubernacula iisdem permisêre, à parentibus tanquam per manus accepta. Fuit certè priscis illis mortalibus maximè persuasum, virtutem paternam in filios infundi, eamq́ue esse claræ familiæ indicem, vsque adeò, vt quem maximo loco natum scirent, eundem certò sperarent maximis fore virtutibus, & quemadmodum in seminibus causam sciebant esse stirpium atque arborum: sic etiam illustrium maiorum genere, inseri plerumq́ue

G posteris

posteris egregias virtutes. Porrò huiusmodi heroum filij, quorum virtus adeò esset admirabilis, vt extra communem hominum sortem posita videretur: humanam contemnentes originem & se inferiorem putantes, à Diis ipsis ortus suos repetebant; erant enim parentes eorum inter Deos, vt iam diximus, locati: Hinc illa Deorum & semi-Deorum multitudo qua Homeri Ilias, & Virgilij Æneis referta est, quorum est nemo, qui non Deorum aliquem in sua gente & origine, vnde rectâ lineâ descendebat, non recenseat. Sic Achilles Thetide se procreatum, gloriatur Memnon Aurora, Ioue Sarpedon, Neptuno Theseus: & libro Iliados 5. Æneas Achillem adortus Ioue patre superbit, gradus sigillatim enumerans, per quos ab eo descenderit. Alexander etiam Magnus multis pòst ætatibus Iouis filius dici voluit & haberi; quod & de Scipione Aphricano relatum est. Hoc autem, vt vulgo persuaderetur, non tam rerum imperitia & superstitio (quibus illa rudis mundi ætas excæcata erat) quàm virtutis admiratio faciebat. Sic enim existimabant diuis ortos, quos viderent plusquam humanis exornatos virtutibus. Ex supradictis liquidò cõstare reor, quando primùm Nobilitas hæc nasci, & cognosci cœperit, ac quanto in pretio fuerit, iam inde à mun-

di

di prima infantia. Sed omnia hæc barbara inquies & ethnica, neque fortaſſis ſatis indubitata. Linquamus hæc igitur tanquam aliena & ad ſacras literas diſciplinamq; Chriſtianam conuertamur. Si igitur vetuſtioris teſtamenti paginas, ſi recentioris libros Euangelij voluimus, multa certè apertiſſima huius ſplendoris ſiue Nobilitatis teſtimonia & diſcrimina inter familias & familias conſtituta & obſeruata reperiemus. Sunt certè nonnulli qui ea ſtatim ab orbis conditi exordio incipiunt, aut certè paulò pòſt, nempe ab Abel iuſto & Cain, vt ſcilicet, ille quamdiu vixerit patris Nobilitatem retinuerit, hic ob perpetratam cædem fratris amiſerit; quod & ex noſtris Bartholus aſſeruit[d]. Ac quum poſteà omnes homines cataclyſmo aquarum periiſſent, ſaluis tantùm Noë & tribus filiis eius cum vxoribus; Sem & Iaphet Maiorum virtutem & Nobilitatem retinuerunt, & in poſteros propagarunt; Cham ob nudũ patrem ebrium deriſum, eâ decidit, audiuitque Patrem hæc non ſine bile pronunciantem: Maledictus Chanaan ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis. Imò ſunt qui altiùs Nobilitatem repetunt, nempe, ab Angelis & Aſtris; Angelos enim alios aliis ordine & Nobilitate ſuperiores; Aſtra quoque & ſidera, non ordine tantùm, ſed & virtute & Nobilitate & po-

[d] L. 1. col. 4. verſ. Si ergo aliquis C. de dignit. libro XII.

tentia inter ſe longè diſſimilia, ita vt alia quidem quaſi Imperium exerceant, & reliquis ſplendorem afferant & dignitatem, alia inferiora regi & propemodum ſeruire videantur. Sed vt cætera exempla, quæ ex veteris teſtamenti volumine ſumi poſſent, omittamus: palàm eſt eos qui à tribu Iuda originem ſuam ducebant omnibus Iſraeliticæ ſtirpis hominibus Nobilitate præſtitiſſe, quod ſcilicet, ex quo de crudeliſſimi Pharaonis manu in libertatem ea natio aſſerta fuit, eximias vbique præclaræ virtutis ſignificationes dederunt. Quarum ex innumeris vnam & alteram referre cõtentus ero: In exitu Iſraelis de Ægypti finibus, pœnituit truculentiſſimum Tyrannum conſilij, quo Iſraeli fecerat abeundi poteſtatem & inſitâ animo ſuperbiâ, ac ferociâ, populum diuino tutum auxilio, inſequitur, ignarus in quantum malorum mare ſe mox mergeret; Ibi Dux afflicti illius gregis Moſes numinis cæleſtis implorans præſidium, & opem tam inopinato periculo; Virgulâ illâ diuinâ (quæ ſcilicet omnipotẽtis Dei & roboris cæleſtis, ſymbolum haberet & imaginem) mare percutit, illud verò agnoſcens manum creatoris ſui, è veſtigio obtemperans, vtrimque retroceſſit refluxitque & tanquam æneo pariete ſecluſum conſtantiſſimè contra elementi naturam ſubſtitit, vt medio

medio interposito tramite tutum & facilem trãscursum populo præberet Israelitico. Quem tantus stupor & terror inuasit, vt neque apertissimâ Numinis voluntate & ope ostensâ se committere tam insolito itineri auderet. Aiunt autem tunc eorum qui de tribu erant Iuda maximè fortitudinem, & virtutem effulsisse, & imperterritis animis Mosis inhærendo vestigiis reliquos omnes, quibus mens erat ignobilior seruiliorque ad sequendum calcar addidisse. Posteà quoque in omni genere laudis & virtutis militaris heroicè hæc tribus Iudaica se gessit; hinc factum, vt inter duodecim Israelis Principes (singuli autem à singulis tribubus legebantur) primas obtineret, qui esset ex Iudæ ortus progenie; hic primus agmina ductabat, primus vota faciebat, primus sacrificia offerebat, huius authoritatem & Imperium cæteri sequebantur. In hac tribu belli duces extitêre innumerabiles, & viri singulari sapientiâ & æquitatis laude complures exorti sunt; permulti etiam Reges regio dignissimi diademate, inter quos, sicut Luna inter minora Sidera, fulget sanctissimus & fortissimus Dauid, præclarum virtutis & pietatis exemplar. Denique propter virtutis jubar quod in hac gente emicuit in eadem remansit Regni maiestas, quamdiu aliquis fuit
He-

Hebraicæ Reipublicæ ſtatus, & vltimò ex eadem naſci voluit, omnium qui vnquam fuere hominum nobiliſſimus libertatis noſtræ vindex, & vitæ auctor æternæ CHRISTVS IESVS. Vnde equidem certiſſimum argumentum, generoſiſſimum ipſum Moſem Nobilitatis introduxiſſe rationem, quum ſic ſtatuit, vt Imperij faſces & ampliſſima quæque dignitas certæ genti & familiæ demandaretur. Reliquum etiam, hoc eſt, vt ſubnectam aliquid de antiquitate, quæ Nobilitatem plurimùm commendat. Multum certè dignitatis illi confert temporis antiquitas [e] quæ aliis etiam rebus Maieſtatem addit incredibilem. Ita enim natura comparatum eſt, vt ea quæ à præcedenti memoria ſemota ſunt, fiant quodammodo ipſa vetuſtate auguſtiora, ſanctioraque. Hinc illæ inter Ægyptios, Phœnices, Phryges, Arcades & alias gentes de prioritate ſuæ antiquitatis contentiones, dùm aliæ ſe ante alias creatas & in lucem editas gloriantur; Et Athenienſes αὐτόχθονες dici voluerunt quod indigenas ſe eſſe aſſererent, nec aliunde ortos, ſed ex ipſa Attica tellure, quamobrem reticulo quodam aureis cicadis variato caput redimiebant, vt vel ſic ſe inſtar cicadarum, è terra quam incolerent fuiſſe generatos demonſtrarent, vnde & τεττιγοφόροι dicti ſunt. Ad hunc certè

[e] Sicut vinum amicos & alia plura: ita & Nobilitatē commendat vetuſtas. Qui de antiquiori eſt genere & familia, is eſt nobilior, ideo præferri debet, bonus textus in l. vnica §. quæ omnia, vbi vix ab antiqua ſtirpe vbi Alber. notat. C de vet. iur. enucl. l. Prouidendum ibi meritò Nobiliſſimus fecerit aut vetuſtate. C. de poſtulando. Hinc dixit Raynauldus in tractatu de Nobilitate q. 3. in principio. Nobilitatem tanto maiorem eſſe quanto plus inueteraſcit. Vide conſiliū M. Antonij Nattæ. I.C. Aſtenſis in ordine 567.

certè modum in familiis & gentibus plurimum habet momenti, originis vetustas, videmusque generis nouitatem ferè contemni; vnde & ignobiles, noui homines dicti sunt, & vetustas pro Nobilitate apud Latinos accepta est. Nouitas enim non illam habet ætatis caniciem, cui præcipuum honorem tribuẽdum putamus, & in singulis aliis auctoritatem habet senectus. Est certè Nobilitati sua infantia, est sua adolescentia, adultior ætas, senectus, extremum senium, atque adeò Mors ipsa, hoc est, quod quidam dixere quandam esse Nobilitatem incipientem, aliam crescentem, aliam denique perfectam; neque in ictu oculi nasci Nobilitatem dixit alibi Baldus [f] noster: quasi sentiat nullam ferè esse Nobilitatem, quę sit in principio, nisi vltrà quoque progressa sit, quod & alij nonnulli sensere Iuris interpretes; & sicut vna hirundo non facit ver: ita nec intelligi de nobili genere eum, nisi qui probauerit quod antiquitus maiores eius fuerunt Nobiles [g]. Possent huc infinita Poëtarum, Oratorum, Historicorum adferri testimonia, quæ (vt nota) omittimus. Habent igitur ortum, progressum, & occasum suum, ac extirpationem nobilissimæ quæque familiæ, prout nihil perpetuum est sub Luna. Quædam familiæ quæ priùs ignotæ erant, nunc exoriuntur, & subitò

f Feudum antiquum sapit nobilitatem, sed non feudum nouum, quia nobilitas non nascitur in ictu oculi l. stemmata ff. de Gradibus. Vide M. Antonium Nattam Astensem consilio 567. & est originaliter Baldi in prælud. feud. col. penult. in decima diuisione feudorum.

g Glossa in l. stemmata ff. de gradibus.

præcipites ad ima deuoluuntur, aliæ rursus vix patrum aut auorum gloriam tuentur, aliæ denique multas ætates viuunt florentque, postremò sempiternâ obliuione delentur, quod etiam apud Homerum Glaucus ad Diomedem testatur. Quò non dico familiæ, sed multi integri in Italia vetustissimi nominis populi, qui stirpitus abhinc multis retrò elapsis sæculis ita periêre, vt vix constet, vbi consederint, quò omnes illæ nobilissimæ Romanorum gentes, quas mox memorabimus: certè cum fortuna S. P. Q. Romani ita sepultæ, vt si quis se ab earum aliqua natum iactitet, perinde explodatur, atq; si Pithagorę palingenesiam tueatur. Ea sanè lex Naturæ est incommutabilis perpetuaque, vt quæ oriuntur, etiam occidant. Et quas iam in Italia, antiquissimi stemmatis familias videmus florentes opibus, clientelis, auctoritate, latifundiis, & principatibus, Columnensem, Vrsinam, Estensem, Gonsagam, Sanseuerinam, & alias nónne olim desituras arbitremur & intermorituras, etiam quę hodie toto terrarũ orbe sunt potentissimæ & augustissimæ Austriacam, Valesiam & Ottomannicam, cùm quæ eas antecesserunt quibusque hæ successerunt, conciderint. Verùm cùm iam multa & pręclara Nobilitatis ornamenta complexi simus, illud nunc ordo orationis

nis postulare videtur, vt quibus modis Nobilitas minuatur deperdaturque nonnihil dicamus: Ea igitur vitiis quæ superioribus virtutibus maximè sunt contraria pessum datur & labefactatur. Nam licet, vt suprà exposuimus, ferè fit, vt qui nobili loco nati sunt, indole non mediocri ad virtutem à vitiorum labe alienâ, id tamen non vsquequaque, ac perpetuò verum est; frequenter enim Heroum filij noxæ sunt (vt est in prouerbio) sæpè filios nequam producunt. Qui quidem vt optima etiam indole & in laudis studium procliui nascantur: non raro accidit, vt indolem pessimâ cõuersatione & prauâ educatione amittant. Cùm quis igitur tam malis moratus est moribus, vt nullam mediocritatis rationem habeat, is certè in tenebras sese deiicit, & familiam suam illustrem, quantum in se est, obscurat, turpatque. Marcus Tull. Cicero, in oratione quâ respondet Salustio, qui eum contemptim vocarat nouum hominem Arpinatem: Ego, inquit, meis maioribus virtute meâ præluxi, vt si priùs noti non fuerint, à me accipiant initium memorię suę. Tu tuis vita quam turpiter egisti magnas obfudisti tenebras, vt etiam si fuerint egregij ciues, certè venerint in obliuionem. Quemadmodum igitur Iustitię cultus, multis Nobilitatis splendorem peperit: sic etiam quod

H huic

huic virtuti aduersatur vitium iniustitiæ, multos mortales è dignitatum, honorum & Nobilitatis possessione præcipitauit. Cuius quidem rei omnium propè Tyrannorum exitiales catastrophæ disertissima exempla præbent, qui ferè semper non solum ipsi fortunis & auctoritate spoliati fuere, sed cum vniuersa familia, iisque, qui illis sanguine iuncti erant. Quid deinde ignauiâ aut vilius aut ignobilius excogitari potest? quâ innumeri imperia Maiorum virtute parta, sibi contumeliosè auferri viderunt, & vniuersæ posteritati tenebras offundi? Iam quid auaritiæ turpitudinem & fœtorem persequar, pestem Reipub. maximè execrabilem, quæ omnem tollit amicitiam, & sanctam societatem, nemini prodest, quibus etiam potest, nocet. Auarus enim cum propter animi augustiam parto frui non audeat, pauperes violat & expilat, diuitibus insidiatur, socios, ignotos & hospites vexat, publicus omnium hostis aquâ & igni interdicendus cùm inutilis sit ciuitati, Reipub. perniciosus, sibique ipsi demum hostis acerrimus, cui tam desit quod habet, quam quod non habet. Auari certè sunt illi dæmones maligni, tristes, obscuri, sordidi, squallidi, quos Diogenes cum Alexandro disserens primo loco ponit. Quos pecuniam pluris facere, quàm patriam, paren-

parẽtes aut cognatos oſtendit. Propinquorum enim mortes expectant, quorum inhiant hæreditatibus, non temerè rident, omnia ſuſpecta habent; inimicitias, odia, maledicta nihil curant, modò rem faciant. Magneti in hoc ſimiles, quod ſicut ille ferrum ad ſe trahit: ſic iſti aurum & argentum vndique, & quouis modo, rapiunt, omni certè tyranno ſæuiores. Quum autem turpe ſit omni viro auaritiæ labe infectum eſſe, tum maximè illi qui paſſim nobilis audire vult, in qua nihil poteſt eſſe peruerſius, cùm ad liberalitatis officia ille præter cæteros homines natus videatur. Quare cùm hoſtes patriæ auari cenſeantur, meritò in eos lata hæc lex eſt. Auari in vrbe ne ſunto: ſi fuerint, publico edicto eiiciantor: tantum abeſt vt inter nobiles & patritios viros illis locus aut nomen detur. Iam quid de litterarum inſcitia dicam, neque enim libet exemplis omnia confirmare: De paupertate maior dubitatio videtur, quâ vt aſſeramus Nobilitatem non prorſus deperdi (quod tamen voluere inter iuris conſultos multi præclari viri [b] & inter Grecos Menander, cuius circumfertur hic ſenarius,

Fortuna non mutat Genus Horatius.

 Πενία

[b] Bart in l.1. in F. & ibi Ioan. plat. col. 1. C. de Dignit. libro 12. Sequit. Cepoll. in tract. Nobilitatis col. 7. verſic. & ideo ſi quis ad paupertatem deuenerit ſequuntur etiam plures alij.

Πενία δ᾽ ἄτιμον καὶ τὸν εὐγενῆ ποιεῖ.

& Euripides in electra.

Λαμπρὸς γὰρ εἰς γένος γε χρημάτων δὲ δὴ

Πένητες, ἔνθεν ἡ εὐγένεια ἀπόλλυται.)

Fatcor tamen eam eſſe contemptui & ludibrio vti eſt paupertas, ſicut etiam Iuris noſtri auctores annotarunt [i] & à Plauto ſcriptum eſt, præſtat diuitem eſſe & popularem, quàm Nobilem & mendicum; & alibi Euripides:

Οὐδὲν ἡ εὐγένεια πρὸς τὰ χρήματα.

Nam ſi virtus ex Peripateticorum ſententia indiget opum adminiculis: quid de Nobilitate dicemus? Nunc cùm perſpicuum ſit, Nobilitatem & ortum ſuum & occaſum habere: illi certè videntur magnis encomiis celebrandi, qui hunc ſplendorem genti ſuæ accerſunt; illi odio digniſſimi, quorum labe & ſcelere iam adquiſitus amittitur, qui nec familiæ genio, nec auorum propoſitis exemplis ad virtutem fouendam, ad Rempub. iuuandam excitati, cœno voluptatum & vitiorum ſe ſubmerſere. Quapropter puto ipſam Nobilitatem (ſi Deus ei formam vocemque daret huma-

i Iacob de S. Georgio in tract. de Feudis chart. xxix & Matth. Affl. in cōſtat. Regni quamplurimū col. 11. verſ. Quid autem ſi Dominus ipſe faciet Bo. Curt. in ſuo tract. de Nobilit. col 2. verſ. tertius & vltimus.

humanam) in tales inuecturam, ſicut eam introducit Philon Iudæus in opuſculo cui, de Nobilitate, titulum fecit. Et ſiquis ſenſus apud vita functos ſupereſt, ſiue quid apud nos agatur, ſentiunt, dolent, & quidem vehementer dolent, tales generoſi Maiores de ſe tam indignam poſteritatem ortam. Et ſi in vitam redire poſſent ea credo cenſura in liberos degeneres vterentur, qua Brutus ille primus libertatis Romanæ vindex, quæ conſcios coniurationis filios virgis cœdi, ac ſecuri percuti iuſſit. Quam ſeueritatem imitatus Caſſius filium ſuum populi Romani imperium affectantem necari iuſſit. L. Manlius Torquatus item, quũ filius eius Syllanus à Macedonibus, [a] repetundarum accuſaretur: ſolus vt de cauſa cognoſceret, à Senatu petiit, & impetrauit. Ea verò accuratè diſcuſsâ, & filio criminis reo reperto, huiuſmodi iudicium tulit [b]. Quum Syllanum filium meum immeritam pecuniam diripuiſſe conſtet: paternis laribus ac Reipub. beneficio, & omnium ciuium ſocietate, eum indignum iudico. Recedens idcircò Syllanus extra patris conſpectum, animum deſpondens, ſibi ipſi manus intulit violentas; cuius quidem funeri tanquam ſe, & patriâ indigni, intereſſe noluit pater. Non poſſunt certè parentes optimi flagitiis contaminatos filios charos habere,

[a] Syllanus à Macedonum Legatis repetundarum accuſatus.

[b] Torquatus filium domi cauſam iuſſit dicere & re ex vtraque parte biduum audita, tertio die pronunciauit, „Cũ Syllanũ filium meum pecunias à ſociis accepiſſe mihi probatum ſit, & re & domo mea indignũ iudico, protinusque è conſpectu meo abire iubeo. Quemadmodum Valer. Max. lib. 5. & Cicero de finibus primo teſtantur.

 ideoque

ideoq́ue ſuperſtites adhuc eos ſæpè exhæredes faciunt, aut abdicant & annulum detrahunt, inq́ue locum eorũ, ne agnationis nomen intereat, alios, quorum eſt ſpectata virtus, adoptant. Quanta moderatione vſum cenſebimus Antoninum Philoſophum. Imp. Aug. dum filium ſuum Senatui commendauit, cuius verba verè Philoſophica fuere huiuſmodi: Filium (inquit) meum commendo, ſi nobis & Diis immortalibus dignus erit; modeſtè ſanè & prudenter, ne ſi ſecus ſe filius, quàm vellet pater, habuiſſet, gloria paterni Principatus, aliquâ filij labe contaminaretur. Rogatus à Xantippe Socrates, vt propter filios, in vita remanere vellet: Nequaquam reſpondit. Tum illa, Cui filios commendatos relinquis? Nemini, inquit Socrates; nam ſi mei ſimiles erunt, nullâ indigebunt cõmendatione; ſin ſecus, nolo filij Socratis dicantur; non enim merentur. Longum hic eſſet diſputare an Nobilitatis decus perdatur per ingreſſum Religionis (vt vocant) artium vilium exercitia; Iudicis, Aduocati, aut procuratoris officia faciendo, Medicum, Agricolam, aut mercatorem agendo, & in vniuerſum, quæ ſint artes, quibus huic ſplendori derogetur. Sed quia non me latet fuſiſſimè in vtrãque partem hæc, & ſimilia diſcuſſa eſſe à noſtrę ætatis celeberrimo Iuris cõſulto Andrea Tyraquello

lo Gallo, qui eorum nihil quę ad hęc ſcribi dicíve potuerunt, intactum reliquit, lectorem cui iam fortaſſis prolixitate meâ ſtomachũ moui, ad eum lego. Si quis verò tantus Helluo inuenietur cui adhuc non faciet ſatis Tyraquellus, & plura quæ ad hanc materiam pertinent, auebit cognoſcere: is rectâ proficiſcatur viâ ad eos, qui de hac materia fuſiſſimè editis commentariis, vel paſſim in libris ſuis pro re nata, ſcripſere; ſcripſere autem plurimi. Hi certè; Ioannes quidem Raym. magni nominis Iuriſconſult. Item Bonus Curtilius, Bonartiſius quidam & Ludouicus Gomes, libros ſeu tractatus de Nobilitate ex profeſſo, (vt aiunt) elucubrauere [c]. Bartholus in l. 1. C. de dignitatibus libr. XII. multa de hac re ſimul congeſſit, ſicut & Bartholo Cepolla in tract. de Imperatore militũ deligendo. Barb. in repet. extrauag. volentes; Petrus Artibolus in tractatu de muneribus c. xx. charta Anto. Corſatus in repet. c. grãdi. de ſuppl. neglig. Prælatorum, lib. VI. primus item gloſſographus Regularũ Cancellariæ Innocẽtij VIII. & Iulij II. Pontif. Romanorũ, & Barthol. Chaſſan. in catalogo glorię mũdi in 8. parte. Quorũ omniũ id pręcipuum eſt inſtitutũ, vt doceant quid ſit Nobilitas, eius ſpecies, priuilegia, ad quos progrediatur; num ſcilicet, deriuetur in liberos hęredes trãſuerſales, an Nobilitas

[c] Andreas Fauinus, Gallus, Flaminius Nobilius, Italus, Dionyſius Harduynus Belga.

mariti in vxorem vſque tranſiliat, & è contrà, vxoris in maritum, & eius liberos. An etiam hic ſplendor aſcendat in liberis ad parentes; Multa denique huius farinæ alia quibus lectorem obtundere noluimus. Philoſophicè verò de Nobilitate ſcripſere Philon Iudęus Philoſophus Platonicus, de quo extat hoc D. Hieronymi in catalogo ſcriptorum Eccleſiaſticorum elogium, ἢ πλάτων φιλονίζει, ἢ φίλων πλατωνίζει. Hic ſanè ſcripſit de Nobilitate libellum peculiarem Philoſophiæ & Theologiæ plenũ Latinè verſum ante annos (ni fallor) quinquaginta à Sigiſmundo Gelenio patritio Pragenſi Bohemo, qui reliqua etiam Philonis Opera tranſtulit, quem tamen libellum miror Tyraquellum ſcribere non extare, qui omnia quæ ſcripta extant, non vidit tantum, ſed legit, ſed abliguriuit, deuorauit. Plutarchus Cheroneus duos libros ſcripſit, in quorum altero Nobilitatem tuetur, in altero eandem oppugnat. Atheneus verò commemorat, Diogenem, Babylonium, Diogenes etiam Laertius Ariſtotelem & Metrodorum Athenienſem, Epicuri diſcipulum de Nobilitate peculariter ſcripſiſſe; Danthes item Aldigerius vates, & patritius Florentinus in carmine cuius initium *le dolce rime d'amore.* Poggius

gius eius συμπ-ατειδότης. Felix Malleolus Germanus. Baptista Platina Cremonensis, is qui vitas Romanorũ Pontificum descripsit; Xystus Betuleius Augustanus, eandem quam superiores in hac materia, operam nauauit. Franciscus Patritius in libro de institutione Reipub. latè etiam de Nobilitate disputauit. Christianè verò in hoc campo versati sunt & scripsere Ioannes Gerson & Hieronymus Osorius Lusitanus Oratorum huius sæculi omnium eloquentissimus, qui idem & de Nobilit. ciuili libros 2. scripsit, quorum omniũ scriptis plurimum me profecisse libenter profiteor: Sed tempus videtur vt receptui canam, & vela contraham; non enim mens erat, quum hunc sermonẽ inceperam, tam latè omnia & copiosè tractare, at leuiter tantum, & primis (quod aiunt) labris quędam gustanda propinare, ne inurbanè statim ad tantum negotiũ (quo de agimus) accessisse, meritò reprehendi possemus. Sit itaque hæc prior nostri scopi pars, quâ actum sit de Nobilitate deque iis, quæ in disputationis nostræ initio spoponderamus; Sequens Oratio notas complectetur visibiles, item nonnulla quibus Nobilitas ab ignobili vulgo, & fece plebis, per omnes ferè ætates discreta fuit. VIRI ergo excelso loco nati non indole siue genio tantũmodò, moribus aut animi dotibus,

Ioannes Baptista Nemia I. C. & eques Cæsareus scripsit de Nobilitate libros três.

ab ignobilibus differunt: verùm & aliis diuersis rebus, quæ oculis subiiciuntur. Quandoquidem & vultus, & totius corporis aspectu, ac lineamentorum figuris ferè differre solent, sicut alia generosiora animalia suas habent notas visibiles, quibus ea in specie sua aliis eas notas non habentibus nobiliora iudicamus, de quibus multa Columella atque alij rei rusticæ scriptores. Allusit autem ad sententiam nostram Poëta Sulmonensis de Romulo loquens & Remo.

Lib. 2. Fastorum.

Si genus arguitur vultu, nisi fallit imago: "
Nescio quem è vobis suspicer esse Deum. "

Lib. 4. eiusdem operis.

Et rursus:

Nec facies impar nobilitate fuit, "

Et Paris ad Helenam:

Forma vigórque animi, quamuis de plebe videbar, "
Indicium tectæ nobilitatis erat. "

Quò disertè demonstratur quisquis verè nobilis est, eum statim ex conspectu, & membrorum analogia ac signis, huiusmodi apparere, quemadmodum è diuerso qui humili loco natus est, talis mox ex Physionomia dignoscitur ac deprehenditur;

titur; quantumlibet Nobilitatem ementiri conetur, nobilisque videri studeat. Apud Quintilianum cùm Longus Sulpitius vultu admodum deformis, ei contra quem in liberali causa aderat, dixisset, ne faciem quidem liberi hominis habere: ei respondens Domitius Apher, qui contra huic aderat. Tu, inquit, ex animi sententia, Longe. Qui malam faciem habet, liber non est. Dido certè Virgiliana hoc argumento ducta rectè collegit Æneam viris esse nobilibus atque adeò Diis ortum immortalibus.

» *Quis nouus hic nostris successit sedibus hospes*
» *Quem sese ore ferens, quem forti pectore &*
» *armis?*
» *Credo equidem, nec vana fides, genus esse Deo-*
» *rum.*

Certè incredibile videbatur, eum ignobilem virum esse, qui tam præclara in corpore Nobilitatis testimonia secum ferret. Cęterum de vestium generibus Nobilitati peculiaribus, quibúsue eam à vulgo dignoscimus, superiori oratione, sermonem fecimus: feruntur tamen prætereà in vestibus, & alicui corporis parti adpenduntur, aut adpinguntur alia signa quædam & Symbola Nobilitatis; Cuius generis apud Romanos fuit Bulla

aurea pendere solita de collo triumphantis, aut Nobilium puerorũ in formam cordis formata, ac quibusdam remediis contra fascinum, & inuidentium oculos referta, quæ pueris dabatur, vt cordati & triumphantium similes euadere studerẽt [d]. Scortea verò bulla de collo dependens, insigne erat libertinorum & ignobilium & plebeiorum. Lunulas item in calceis nigris ferebant ij qui ordinis erant Patritij. gerebantur hæ lunulæ circa talum, quæ tamen secundum nonnullos communes fuisse putantur toti Nobilitati. Cicero Philipp. 13. Est etiam Asinius quidam Senator voluntarius lectus ipse à se, apertam curiam vidit post Cæsaris mortem, mutauit calceos: Pater conscriptus repentè factus est. Id est, lunatos calceos sumpsit. Horatius,

[d] Author Asconius Pedianus 3. in Verrem actione: Plinius, lib. 33. c. 1.

Macrob. libro 1. Satur. c. 6.

Nam vt quisq; insanus nigris medium impediit cras
Pellibus & latum demisit pectore clauum:

Ignoti autem, obscuri, transmarini, & externi calceos habebant gypsatos, & creta argentaria pedes venalitiorum trans mare aduectorum antiqui illinere consueuerant, quod & Plinius tradidit: Hinc ait Tibullus:

Vera

Vera loquor, regnum ipse tenet quem sæpè coegit
Barbara gypsatos ferre catasta pedes.

Et Iuuenalis de Crispino:

Nuper in hanc vrbem pedibus qui venerat albis.

Aureos etiam annulos [e] non ferebant nisi qui nobiles essent, quamuis hoc signũ propriè eorũ fuerit, qui ordinis erant equestris; Inde ius annulorũ aureorum pro Equestri ordine,& hodie calcar aureum. Olim apud Indos in auribus aurum ferre Nobilitatem designabat, [f] sicut & hodie,sed & in labris multi hoc gestitant in Aphrica & India nobiliores. In Italia verò inaures ferre, plebeiis etiam mulierculis commune. Erat certè hic mos apud nobiles Persas, nobiles & Athenienses auctore Apuleio;

» *Qui aurum* (inquit) *tantum reliquit, quantum*
» *puer nobiliate insigne cum auricula gestauit.*

Sciens hic prætermitto quæ de huiusmodi notis apud Thraces gestari solitis scripsit Herodotus, apud Britannos,Helenos, & Agathyrsos: [a] Iulius

I 3 Cęsar

[e] Olim nobilitatis, pòst ingenuitatis aureus annulus insigne fuit,vnde adhuc de iure aureorum annulorum tractatus in nostris mss. libris extat.

[f] Q. Curtius & Arrianus Nicomediensis vterque lib. 8. de rebus gestis Alex. Libro primo de dogmate Platonis.

[a] In Ægypto in vestibulis domornm alas vulturũ proponere indicium nobilitatis & vetustatis familiæ censebantur.

Cęſar, Solinus & Pomponius Mela. Hoc verò ſilere non poſſum quod referunt ſcriptores, etiam nominibus olim diſcretam à vulgo fuiſſe Nobilitatem apud Romanos; tria enim apud eos Nobilibus, ſæpè etiam quatuor, prænomen, nomen, cognomen, agnomen, idque inprimis nobilitatem generis monſtrabat legimus, fuiſſe nomina: Cæteris duo ſolummodò ſicut & Mulieribus. Iuuenalis Saty. 5. Tanquam habeas tria nomina quamuis id non fuiſſe perpetuum docet Feſtus Pompeius lib. 14. Itali ſanè Nobiles, etiamnum nomina ferè quam vulgus habent Pulchriora, quod vt in aliis Italiæ locis, ita in Regno Neapolitano plurimum obſeruatur, vbi proceres Regum ſuorum nominibus mirum in modum gaudent appellari: Sed apud Turchas potiſſimum hæc differentia eſt ſolemnis, qui natali die Regibus ſuis huiuſmodi ferè nomina indunt, Salenner quæ vox Solomonem ſignificat. Sultan Scelim, id eſt, Princeps pacis. Muratbeg, id eſt, deſideratus dominator, Muſtafa, & ſimilia; Ducum verò nomina ſunt huiuſmodi, Pirim, Hairadon, Hader, Ebrahim; Dominorum humilioris conditionis, Spahalar, Sanſlar, Eminler, Behram, Memmi, Mehemmet, Alli, Ahmat, Tcielebi, Parazith, Chatſun, Hutſcref: Cæteris omnibus Nobilibus, Mutſa Ionutz,
Schender

Schender, quod Alexandrũ ſignificat: vnde Turcæ Ægypti Alexandriam Schenderiam vocant, Captiuorum ac ſeruorum maiori ex parte, Perhat, Ferro, Seremeth, quod nomen ſignificat audacem & velocem, id eſt, dromonem: Sunt & aliæ Nobilium familiis propriæ notæ, de quibus hîc ex profeſſo agere longiuſculè intendimus, tum quia tota diſputatio erit amęna, tum quod nullius (quos quidem hactenus viderim diligentiâ) tractata ſit commentariis, prærerquàm Bartholi noſtri, qui tamen multa intacta reliquit, multa leuiter pertranſiit. Vtilis certè eſt hæc materia, ac multum momenti habet; dignaque in quam pluſculum operę ponatur, Gentilicia certè inſignia, quæ vulgus arma vocat, Nobiles geſtant, quibus ab ignobilibus differunt. Horum ſanè vſus antiquiſſimus eſt, nam compertum habemus vetuſtiſſimis temporibus Anubin, & Macedona Oſiridis filios, armorum inſignibus vſos fuiſſe, referente Diodoro, & canis exuuium alterum, lupi roſtrum alterum in armis ſuis geſſiſſe. Sic Tydeus apud Æſchylum in clypeo, depictum fert coelum ſtellatum cum luna medium vmbonem occupante. Hippomedon, Typhonem fumos ore efflantem, Parthenopeus Sphingem, Perſeus Gorgonis colubriferum caput: Veneris genetricis Iulius. Hector

De armis Gentilitiis.

Vſus armorum antiquiſſimus.

duos leones aureos eleuatos se mutuo inspicientes in æquore rubeo gerebat: Alexander Macedò in clypeo cæruleo Regem regio prorsus more vestitum sedentemque in solio. Ferunt inter Hebræos Dauidem pro insignibus vsum fuisse, aurea lira in campo rubeo: Iosuem verò tribus psittacis viridibus in aurea planitie: Iudam Machabæum Dracone rubeo in plano argenteo, sic alij Pegasos, Mynotauros, Harpyias, Leones, Vrsos, Aquilas, aut aliud quidpiam pictum in vmbonibus ferebant, quo in ineundis præliis ipsorum virtus accenderetur. Atque illa hercle in Colchida facta ab Argonautis inclyta expeditio, non aliunde tamen traxit, quàm à vellere aureo, quod vexillo classis pręcipuo adpictum fuit. Diis etiam gentium arma & insignia attributa fuêre: Ioui fulmen, tridens Neptuno, Herculi claua, framea Marti, Baccho Thyrsus, Hasta Palladi: Sed & Ciuitates & populi iam inde ferè à primis temporibus, arma quædam siue insignia peculiaria habuere, neque hodie vllus est vsquam gentium populus, aut prouincia quæ insignibus non vtatur. Scythæ veteres fulmen ferebant, populus Israeliticus characterem Tau, Ægyptij Apin, hoc est, bouem, Suem Phryges, Arcus & Pharetras Persæ, Romanorum signum fuit Aquila nigra in aureo æquore, à Iulio Cæsare primum

mum (vt quidam auctores sunt) portari cœpta, quod illa in conflictu quodam, & inter medias armatorum copias, in capite ipsius fataliter consedisset, & duos coruos hinc & hinc ipsi negotium facessentes interemisset. Hanc Aquilam Iouis alitem fuisse fabulantur Poëtę, alij Mercuriũ Deorum nuntium nigredine & nube quadam obductum; qui Iouis voluntate Cæsari opportunum auxilium tulerit. Quod quidem omen quum Augures animaduertissent, vi dolisque illum Romæ regnaturum vaticinati sunt: Ab illo sanè tempore, Impp. Romani Aquilam in hunc vsque diem pro symbolo militari atque adeò Insignium vice, portauerunt, quæ posterioribus temporibus ad designandum Orientis & Occidentis Imperium biceps est facta. Non ignoro tamen Plinium scriptum reliquisse, C. Marium cuius Cæsar fuit Sororius nepos in secundo Consulatu suo Aquilam Romanis legionibus dedicasse: Sed & alia quatuor signa ante Aquilã Romani habuere, lupum scilicet, equum, Aprum, Minotaurum, quæ ordines anteirent. Sed ea Marius in totum abrogauit abdicauitque, vt sola Aquila remanserit [b]. Porrò arma diuersimodè quamuis habeãt ferè ortum

Libro 10. capite 4.

b Plinius loco præcitato Insignia gentilitatis arma sunt militiæ quæ ipsa primum (vt simile est veri) Virtutis præmia fuerunt ac rerum præclarè gestarum decora, vt sentit Budeus in l. vlt. ff. de Orig. Iuris. Adstipulatur Alciatus. vide lib. 5. παρεργῶν, c. de insignibus & Armis.

ſuum, ex virtute bellica ſumuntur; Nam qui-
Arma cæli-
tus data.
dam diuinitus,& è cœlo ſibi miſſis armis vtuntur, alij innatis, alij de hoſte victis, alij caſu oblatis, denique plerique virtute bellicâ ſibi quæſitis. De quibus ſingulorum generibus nunc agemus. Qui Francorum hiſtorias ſcripſere, teſtantur in ea Franciæ parte, vbi nunc Regia Palatia ſunt Sancti Germani in Laya, & *Mont-Ioye* ad ſeptimum ab vrbe Pariſiis miliare, Abbatiam eſſe Monachorum Præmonſtratenſiũ vulgò *Ioye en val* nuncupatam, vbi ab hinc aliquot ſæculis à cæleſtibus Dei Omnipotentis nuntiis aligeris delata ſint arma, quibus poſteà Franciæ Reges vſi ſunt: quum ante tempus illud vterentur in armis non liliis, ſed tribus aureis bufonibus in aureo clypeo, vel ſecundum Paulum Æmilium & alios nonnullos, tribus coronis aureis; Accidiſſe autem id referunt Clodouei primi tempore, qui primus inter Francorum Reges ſacro baptiſmate tinctus fuit. Hodie ſanè illius miraculi argumentum, conſeruat loci illius Archimandrita ſcutum illud tribus ornatum liliis, quod tamen poſteà Clodoueus ipſe vel alius poſt eum, ex Regibus ſucceſſoribus onerauit, ſeu ſeminauit, diuerſis liliis, & quidem vt Heraldi loquuntur ſine numero, eoque ſic vſi fuere Galliæ Reges vſque ad Carolum VI. Regem,
qui

qui ea arma reformauit, vti nunc videmus, vt ſcilicet ſint tria aurea lilia in campo cœruleo, qualia fuere ea quæ primitus de cœlo miſſa perhibentur, Simile refertur de armis Regum Nauarrę; Teſinus enim de Stirpe Saracenorum Comes Tholoſę primus eorum Comitũ qui Christianã fidem & baptiſma amplexi ſunt, circa annũ Domini 778. Caroli Magni Auguſti tempore dum Bajonam obſideret, nocte quadam vidit Angelum qui ſibi diceret, ſuaderetque, vt relictis illis armis quibus ante ſuſceptum Chriſti lauacrum vtebatur (ea erant tres arietes) ſibi alia ſumeret, duodecim, ſcilicet aurea poma in figuram crucis, ſicut fecit, ſuntq; arma quibus hodie vtuntur Reges Nauarræ, qui quidem deſcenderunt à Comitibus Tholoſanis; ſed quamuis Comites Tholoſæ & Reges Nauarræ iis armis hactenus vſi ſint; Vrbs tamen Tholoſana in inſignibus ſuis etiamnum arietes illos gerit; Hyginius porrò Fabularum c. 72. ſcriptum reliquit, quibuſdam familiis armorum fuiſſe innatorum ac in vtero materno ingenitorum & impreſſorum vſum: Refertq; omnes qui ex Dracontæa gente erant, in corpore gentilitium inſigne habuiſſe; Iuſtinus verò lib. 15. tradit Laodicen Seleuci matrem cùm nupta eſſet Antiocho viro inter Philippi Macedonis Duces claro, viſum

Arma corpori innata.

esse sibi per quietem ex Apollinis concubitu concepisse, grauidamque ex eo factam, concubitus præmium annulum à Deo accepisse munus, in cuius gemma anchora sculpta esset iussamque id donum filio, quem peperisset, dare. Admirabile hoc fuisse, & postera die eiusdem sculpturæ in lecto annulum inuentum esse, & figuram anchoræ in fœmore Seleuci natam, in matris vtero. Quamobrem Laodice Seleuco eunti cum Alexãdro magno ad Persicum bellum, annulum dedit, edocto de origine sua: vbi post mortem Alexandri occupato Regno Orientis, vrbem condidit ibique geminæ Originis memoriam consecrauit. Nam & vrbem ex Antiochi patris nomine Antiochiam nuncupauit & cãpos vicinos Apollini dicauit. Originis eius argumentum etiam posteris mansit: siquidem filij nepotesque eius anchoram in fœmore, veluti notam familiæ naturalem, habuere. Ex quo illud Ausonij in vrbium catalogo, vbi de Antiochia & Alexandria;

illa Seleucum "
Nuncupat, ingenitus næuus fuit anchora signũ, "
Qualis inusta solet generis nota certa, per omnem "
Nam soboles seriem natiua cucurrit imago. "

Hanc

Hanc anchoram Seleucus ipse pro signaculo in annulo & armis deferebat, vt Author est Clemens Alexandrinus, cui non absimile scripsit Heliodorus Phœniceus de Æthiopiæ Regibus. Alij rursus ex re nata, siue casu arma sumpsere, fortuito, sicut in Lotharingiæ & aliis Annalibus legimus in memorabili illa Syriæ expeditione. Godefredum Bulloniensem, quum Turrim Dauidicam in Hyerosolymorum obsidione sagitta peteret, illam sagittam humi decidisse tribus in aëre transfixis onustam alitibus, portentum sanè indicans celsitudinem & autoramentum Regię suę & Hierosolomytanę creationis. Cuius quidem facti claram testificationem ostendunt etiam hodie Lotharingiæ Principes, qui arma ferunt horũ trium alitum sagitta transfixorum; memoriam renouantia eademque in suis & pubicis numismatibus in hunc vsque diem religiosissimè obseruant. Sumuntur etiam hæc insignia gẽtilitia à re vel virtute quam nobis ob oculos sæpiùs versari volumus. Sic Moguntinensium libri referunt historici: Willegisum Saxonem, (illum inquam) qui obscuro loco ortus quum esset, propria virtute & factis, eo se euexit, vt Otthoni II. Imp. Aug. à sacris fieret pariter & consiliis, dein Ecclesiæ Metropolitanæ Moguntinæ Primas & Archiepiscopus in ordine

Pædagogi libro 3. c. 11.

Hist. Æthiop. lib. 10.

Arma ex casu sumpta.

Arma à re aut virtute quam imitandam proponimus.

tertius & trigesimus, in illius scilicet locum suffectus Hattonis qui portentosè à muribus prope Bingium ad confluentiam Rheni & Nahæ in medio amne viuus fuit discerptus, & deuoratus, quod is anno scilicet supra nongentesimum decimoquarto Otthone Magno Aug. Imperante, quum vniuersam Germaniam ingens fames cruciaret) multos conspicatus pauperes panem mendicantes, eosdem congregasset in horreo, & concremari simul omnes mandasset; dicens, non differre eos à muribus qui frumentum comedunt ad nihilum vtiles. Is Willegisus factus Archiepiscopus, in suo cœnaculo pingi iussit, quam præ oculis semper haberet Rotam, cuiusve conspectu admoneretur fortunę & humanarum rerum inconstantiæ ac incertitudinis, & quam arridēte eâdem fortunâ olim plebeculę ereptus inter summos suę ætatis Principes & Prælatos esset collocatus. Rotæ autem huiusmodi adpingi iussit Symbolum. *Vvillegise memineris quod sis, quidque olim fueris.* Quod quidem Rotæ signum cum inscriptione, tunc datum fuit ab Imp. Aug. Archiepiscopis Moguntinis, vt eo vterentur perpetuò pro armis aut insignibus, & confirmatum ab Henrico II. Imp. Aug. cui cognomen Claudo. Sic etiam ferunt Pretojannem Æthiopiæ Monarcham (quem alij Presby-

Presbyterum Ioannem Indiæ Regem nominant, pro suis armis ferre Christum in cruce pendẽtem fusci coloris, cum duobus flagellis nigris in campo aureo, in quem scilicet mentis aciem & corporis oculos, & in illius pro hominum genere crucifixi acerbæ passionis memoriam semper intendat. Alij rursus assumunt arma quibus suam denotent antiquitatẽ,[c] sicut Athenienses qui aureas cicadas (vt supra dictum est) portabãt; sic lunulas in calceis olim ferebant[d] Romani patritij, veluti ab Euandro & Arcadibus oriundi, qui se ante lunam natos crediderunt; Auctor Plutarchus in quæstionibus[e]. Alij alludentes ad vocem cognominis sui gentilitij, assumpserunt ea arma, quæ maximè cognomini conformia videbantur, & sic illustris familia in Allobrogibus (*della Rouere*) vulgò nuncupata, quæ vox robur quercus speciem denotat, pro insignibus quercum gerit. Hanc autem Paranomasiam in Regnorum armis, & ciuitatum maximè obseruatam videmus. Ita in Hispaniis Regnum Castiliæ, habet pro armis turres seu Castella aurea in campo rubeo. Regnum Granatæ malum punicum (quam Granatam vocant Hispani) in campo argenteo. Sunt etiam familię quã-

 plurimæ

c Arma ad antiquitatẽ nationis aut generis demonstrandam.

d Atticis etiam mos erat capillorum cincinnis aureas cicadas addere, hoc indicio significantes αὐτόχθονας esse sese, id est, indigenas quẽadmodum & cicadæ non aliunde commigrant sicut pleraque alia, sed inibi nascuntur vbi viuunt, Hinc prouerbium, τεττίγων ἀνάμεστοι, Cicadis operti in gloriosos ac stultos olim dicebatur aut obsolitis ac iam desitis vtentes.

e Arma ab illusione cognominis familiæ.

f Arma à patria sumpta aut ab allusione nominis Patriæ.

plurimæ quæ nomini patriæ [f] conformia sumunt arma, aut loci vnde sunt oriundi. Sic veteris Attendulę gentis in Romandiola insigne fuisse accepimus Citonium, scilicet pomum (quod Itali cotognam vulgò vocant) ductum, scilicet, ab oppido nomine Cotignola, vti principem familiam decuit; de quibus quidem insignibus latiùs agemus in Nobili Sfortiadum Romanorum & Mediolanensium familia. Alios quoque arma assumpsisse legimus, non quidem præsentis vitæ conditioni conuenientia, sed quæ magis pręteritæ argumentum adferrent: Sic Gordius Midæ ditissimus Phrygum Regis pater, ex Agricola factus Rex, Gordium ciuitatem inter Asiam maiorem & minorem condidit, & à nomine suo nuncupauit, in ea templum Ioui struxit, & memor antiquæ suæ conditionis in templo (arma propria & insignia fingens posuit aratrum, quo aliquando vsus fuerat, & ex loris seu funibus, quibus boues in iugo tenuerat, nodum adiunxit: miro artificio, vt neque principium neque finis deprehenderetur in eo, eumq; Ioui consecrauit; donec qui eum solueret, occurreret; [a] Alij vt ostendant se rebus patriæ afflictis lucem attulisse, stellis scuta sua siue arma distinxerunt: Sunt nonnulli qui vt ostendant sibi ius in aliqua re, aut ditione competere,

Arma à significatione pręteritæ vitæ.

a Recitat Guil. Benedicti in sua repetit. c. Raynutius, in verbo Raynut. de clera num xxv. de Testamentis.

ne

ne videantur animum illius possidendi abiicere aut ea pro derelicto habere velle, illius ditionis arma assumunt; Sic Rex Angliæ gestat tres Leopardos aureos in campo rubeo, eò quòd asserit, se esse Ducem Normanniæ, qui pro armis suis habet duos Leopardos, & Ducem Aquitaniæ, qui quidem Dux vtitur vno Leone; & hos tres simul connectit: & quia prętendit idem Rex sibi ius cõpetere in Regno Franciæ: ideò & Franciæ Regis arma in scuto suo fert, Lilia scilicet aurea tria in cãpo cæruleo; hæc verò & illa fert quadripartita. Alios arma cognouimus accepisse, quibus crederent se hostibus terribiliores fore. Sic Principes Belgici paraturi olim in Syriam expeditionem, relictis veteribus insignibus, assumpserunt variorum colorum leones, quibus, scilicet, Saracenis essent formidabiliores. Flandriæ quidem Comes Leonem atrum in campo aureo; Dux Brabantiæ, Leonem aureum in atra planitie: Hollandiæ Comes, Leonem rubeum in æquore aureo: Dux Limburgi, Leonem rubeum in scuto argenteo: Dux Geldriæ, duos Leones se inuicem respicientes in aureo plano; & alij alios. Sunt quibus in aëre visa portenta & subitæ nec inopinatę impressiones, causam armis gerendis dedere, vt mox dicetur in armis Regum Portugalliæ. Arma etiam

Arma à re in quam nobis ius competit.

Arma ad terrorem hosti incutiendum.

Arma à meteoro siue impressione cælesti.

pacto, aut testamento sumuntur: sic superioribus annis D. Petrus de Werchinio Seneschallus Hannoniæ, Eques aurei velleris cùm proles masculas non haberet, filias quidem duas, earum alteram locauit D. Hugoni de Meloduno nobilissimo iuueni, & pro dote ei assignauit donauitque Biensem ditionem quæ est ad Schaldim prope Antonias, & dignitatem Seneschalli Hannoniæ, cum pacto vt assumeret cognomen Werchiniæ familiæ gentilitium & arma, depositis suis propriis. Verumtamen magis est, vt à virtute bellica vel aliquo egregio facinore militari armorum gentilitiorum gerendorum principium sumatur. Nam & olim quum aliquis egregiam operam in bello præstitisset, erat eidem ab Imperatore indultum [b], vt nobilis haberetur, & insigne virtutis gestaret aliquod, quo nobilitaret ac illustraret genus & posteritatem suam, eamque ad similia facta prouocaret. Et Alexander Magnus consilio Aristotelis preceptoris sui donauit milites bene contra hostes certantes diuersis muneribus & insignibus, hinc ea ipsa Galli vulgo vocant *Cottes d'armes*, [c] quæ Nobiles & milites Principis portant, vt inter alios dignoscantur maximè in bello & acie, cui cum Princi-

Arma pacto aut testamento sumpta.

Arma ab aliquo egregio facinore in bello edito.

b Hippolytus Medices Cardinalis, non inane prodigium immineti morti suæ præstruxisse videtur, quum pro argumento insignium suorum crinitam cometem iuuenili atque amatoria leuitate gestaret, qua specie dico olim fulgore in cælo ardens C. Iulij Cæsaris necem portendisset. Paulus Iouius in elogio dicti Hippolyti Cardinalis. c Acquiruntur arma potissimum in militia & ibi maximus est eorum vsus.

Principe ſuo interſunt, [d] fitque ferè ſemper vt quibus Principes hoc beneficij præſtant, ea donent emblemata quibus virtutes eorum qui ſic honorãtur (quam fieri poteſt lucidiſſimè) demonſtrentur & exprimantur. Quidam igitur tot Caſtella depicta geſtant, quot ipſimet vel generis ſui Principes pugnando ceperunt: alij circulos aut quoduis aliud pro numero hoſtium, quos in prętlio aliquo interfecerunt, aut vexilla quæ ex hoſtium manibus auulſerunt; Alij denique ab hoſtibus capta arma, quibus illi vtebantur, tanquam ſpolia manu militari relata, pro ſuis armis vſurparunt. Ad hunc modum fecit Otho Vicecomes qui ad ſacram illam militiam in Aſiam profectus cum Gotofredo Bullonio, obſidente illo ſacram Ciuitatem, Volucem Ducem Saracenorum medio in campo ad monomachiam fortiſſimum quemq́ue ex Chriſtianorum acie prouocantem ipſe Otho fortiter & feliciter deuicit: & totius exercitus acclamatione coronam meruit retulitq́; de interempti hoſtis caſſide, opimum & plenum immortali gloria ſpolium, auream ſcilicet viperam complicatis ſpiris minaciter à cono caſſidis erectam puerũ paſſis manibus deuorantem, quod ipſe poſteà & poſteri eius in hunc diem vſque pro armis gentilitiis geſſere, vt ſcilicet ſit iſtud ſtemma

[d] Facit l. ſtigmata in his verbis: Ad imitationem tyronum de Fabricenſib. lib. XI. Cod.

Arma capta ab hoſtibus.

in aurea planitie ſerpens cœruleus, infans verò ex draconis ore naſcens tanquam à partu purpureus. Non tamen me latet eſſe nonnullos qui hanc inuentionem referant ad diuinam illius generis ſiue proſapiæ originem & antiquiſſimã nobilitatem: Nam & Alexandrum Macedonũ Regem & Scipionem Africanum ab Incubis dæmonibus ſub ſerpentis ſpecie prognatos eſſe credidit antiquitas. E ſerpentinis item matribus eſſe natos Araxidas & Meluſiadas ac Luſinianos fortiſſimos Heroes (vnde poſteà nobiliſſima nata eſt Luxemburgica progenies) Gallorum memorant hiſtoriæ. Porrò, ſerpentum genus quoddam, vt fortaſſe Amphiſbenarum, ore conſtat parere, quorum & hieroglìphica imago deſignat ſapientiam, quæ & ipſa ex capite prodit. Quò facit quod Dea Sapientiæ Minerua etiã ex cerebro Iouis prodiiſſe fingitur, quæ omnia eò ſpectant vt Anguigena illa & purpureus puer de ſerpentis capite naſcens, diuinum genus ſanguiniſque antiquam nec intermorituram nobilitatem & de ſano capite manantem ſignificet ſapientiam. Porrò non ſinguli tantùm homines (vt ſuprà diximus) iſtiuſmodi arma virtute bellica ſibi acquirunt, ſed & Ciuitates ac Prouinciæ. Gandauum clariſſima Flandriæ Metropolis, prænobilis patria mea, arma quibus vtitur, accepit

pit inclytæ virtutis merito ab Arnolpho Iuniore Comite ſuo; Ea verò ſunt in atra planitie Leo erectus argēteus diademate caput redimitus, à cuius collo aureus torques dependet, quæ arma ſucceſſere in locum chyrotecę argentcę in atro campo. Talem Principis ſui fauorem experta eſt dulciſſima vrbs mea natalis, quod egregio exēplo & fortiſſimè obſidionē trium poentiſſimorum Regum impetumq́ue diu ſuſtuliſſet, & præclaram in Principem fidem demonſtraſſet, qua ille obſeſſæ vrbis tēpore longiſſimè extra ditionis ſuę pomœria in Inſubria militabat: ſic etiam meruit aliud patria mea ſymbolum, id eſt, Virginis ſimulachrum ſepto cōcluſæ ſedentis at à Leone cuſtoditę, quod innuit, præter fidem, & pietatem Principi ſuo prę-ſtitam, hanc vrbem in hoſtium nunquam deueniſſe poteſtatem, aut hoſtiliter inuaſam; id enim ſub virginis figura indicarunt maiores noſtri, quia ferè fit, vt in captis ab hoſte vrbibus infinita perpetrentur ſtupra, adulteria, & id genus flagitia. Quocirca eam ciuitatem quæ hoſtilem inuaſionem paſſa non eſſet, Virginem non abs re vocarunt. Similiter Florentia in Thuſcia, habet pro armis & inſignibus ſuis vnum lilium, quibus armis donata & honeſtata fuit anno Domini 1265. à Carolo Comite Andegauię Prouincię & Cænomaniæ,

maniæ, fratre D. Ludouici Regis Francorum, tum quia Carolus benignè fuerat à Florentinis receptus, tum quia ab iisdem auxilium acceperat & fauorem cùm ad Siciliæ expeditionem proficisceretur, quam ei Vrbanus IIII. Pontifex donauerat, occupatam tamen à Manfredo Ecclesiæ Romanę inimico. Legimus nihilominus Carolũ Magnum Florentiam denominasse à Liliorũ floribus Francorum insignibus. Cæterum quemadmodum crescente virtute crescit honos: ita arma ob facinus aliquod memorabile recens gestum, aut aliam idoneam ob causam augmentum sæpè recipiunt: quod maximè videre est in insignibus Portugalliæ Regum, quæ sępius aut noua accedente victoriâ aut aliâ præclarâ re natâ, additionem receperunt. Vetustissima enim Portugalliæ Principum arma memorantur; Scutum scilicet argenteum tantum, sine alterius alicuius rei accessione: quæ sic gessit Henricus Infans Asturiæ Comes. Is in matrimoniũ duxit Castiliæ Regis filiam notham nomine Tyressam, eâ Gallitiæ parte quam Portugallia complectitur, in dotem accepta, iam inde ab huius Principis ætate, arma Portugalliæ quatuor gloriosas passa sunt mutationes, quatuor aucta viribus; sustulit quidem Henricus ex vxore filium Alphonsum, qui pręstantissimâ virtute ac

Arma cum virtute adcrescunt.

arte

arte bellicâ, ſagacitate, prudentiâ incredibili ac indefeſſo labore Saracenos expulit Regno Portugalliæ, factus primus illius Regni Rex de ſuo quidem genere & gente Chriſtianus. Idem ex ſeptem ignobilibus Oppidulis totidem Epiſcopatu nobiles erexit ciuitates. Conſtituit Braccaræ ſedem Regni Metropolitanam; ſacras Eccleſias magnis auxit muneribus, Regiis donariis honeſtauit, & aliis modis Chriſtianum nomen illuſtrauit, propagauitque. Poſteà verò in campis Campodoriacis quinque ſimul Saracenos Mauróſue Reges vno prælio ſuperauit, & ob id quinque ſcutulorum cœruleorum inſigne, facti memoriam poſteritati reliquit. Ea igitur ſcutula in argẽteo campo collocata in crucis figuram, quorum tria ſunt erecta ſingula & ad latus illorum trium iacentia, prima armorum Portugalliæ incrementa fuere. Fuit Alphonſus felix multa vtriuſque ſexus ſobole, felix illuſtrium hominum affinitatibus, vnde ortus alter Alphonſus, clarus rebus ſæpè contra Mauros pulcherrimè geſtis, innumeris clarus triumphis, clarus etiam aduersâ fortunâ, quam pro Chriſti nomine paſſus eſt; vt qui in præliis contra Saracenos multis vulneribus fuit confoſſus, & in eorum cecidit captiuitatem. Hic quum Romanus Pontifex indixiſſet in Portugallia tributum quoddam

L 4 ſiue

ſiue decimas, non paſſus eſt eas colligi, quare cenſura notatus fuit Eccleſiaſtica. Quam cum à ſe auferre vellet, ad ſedem ſeſe contulit Apoſtolicam, vt Romæ coram ipſo Pontific. Opt. Max. cauſam ſuam citra operam procuratoris ageret, & factum ſuum purgaret. In conſpectu igitur ſummi Sacerdotum Principis, & purpuratorum Eccleſiæ Senatorum conſtitutus, togaque tantum talari indutus, quę tunicam tegeret intimam, pedibus nudus & lacertis demiſſe (prout decebat) quædam præfatus cœpit aduentus ſui cauſam explicare, & totius vitæ ſuæ rationem dare, ac factum quod excommunicationi occaſionem dederat perpurgare, hoc in primis aſſerens, quod dum niteretur Chriſtiani nominis dilatare terminos, ac populos à Chriſti fide & religione abhorrentes ad Chriſtum vocare, neceſſe habuiſſet humeris populorum ſuorum grauia imponere onera, frequentia tributa; quæ quidem ſemper libentiſſimè præſtitiſſent omnia, non æquum fuiſſe miſerum populum amplius grauari, addens inſuper præclara extare ſua in Rempub. Chriſtianam merita, claras in fidei hoſtes expeditiones, quarum quidem attuliſſet ſecum locupletes teſtes, & euidentia in corpore ſigna, ac mox Pontificem ipſum & Cardinales percontatus eſt: An ſimul vniuerſi tot

vulnerum

vulnerum cicatrices pro Christi nomine inflictorum monstrare possent, quot solus ipse; & dicto citius togam abiecit, & detectis membris nudum sese illorum oculis exposuit, in cuius quidem tunc corpore visæ fuisse memorantur plagarum cicatrices penè innumerabiles, verùm quinque præter cæteras adeò lethales, vt miraculo simile fuerit, illum vel ex earum leuissimâ conualescere potuisse. Pontificem & Patres conscriptos tam illustria intuitos virtutis testimonia puduit sanè tam malè habiti Regis, quare ipsi se excusauere, & optimi laudatissimique Principis factum celebrauere, Regemque in clientelam suam recepere, & ne in posterum tam celebris egregiique facti periret memoria, Senatusconsulto cauere, vt Rex singula scutula armorum suorum gentilitiorũ quinque plagis seu cicatricibus decoraret argẽteis. Hęc itaque causa fuit quamobrem iterum Portugalliæ Regum arma acciperent augmentum. Ab hoc Alphonso originem suam duxit Ferdinandus Portugalliæ Rex heroicis certè regiisque perornatus virtutibus, qui in Francia vxorem duxit Mariam, nempe, Comitis Bononiensis filiam, vnde sustulit Henricum Portugalliæ Regem, qui tertiò sua arma auxit, lata scilicet bordura rubea, aureis distincta castellis, vt quidam heraldi voluere. Phas

mihi ſit in hoc opere huiuſmodi vocabulis vti, quamuis barbariem quandam olentibus, quum præſertim & ipſe Cicero lib.4. de finibus & Acad. quæſtionibus, auctor ſit, in vnamquamque artem propria quædam vocabula cadere quæ à populo remota ſint, ea ſcilicet, quæ vulgò Artis vocabula nuncupamus, ſine quibus incommodè, quæ ad artem faciunt, explicamus. Cæterum (quod Heraldorum pace dictum ſit) non rectè quæ in bordura ſunt, in Regiis Portugalliæ armis depinguntur. Bordura quidem rubea eſt, ſed caſtellorum vice pingi debét tres Golfanones cum tribus lambellis, vt Galli loquuntur, quæ arma ſunt Comitum Bononienſium, qui ditionem ſuam habuere in Regno Franciæ ad mare littuſque Geſſoriacum; verum ex locorum diſtantia quæ magna eſt, & obliuione vel ignorantia veri factum eſt; vt caſtella illa, in locum Golfanonum ſucceſſerint. Et hoc quidem ex ſententia Henrici Regis, & aliorum complurium Portugalliæ procerum, retulit in commentariis ſuis gallicis D. Olmerius de Marchia Burgundus, Philippi Boni, Caroli Audacis & Mariæ Ducum Burgundiæ, & Philippi Archiducis Auſtriæ, Oeconomus. Poſtremò acceſſit Portugalliæ Regum armis crux viridis, quæ ſcutum ipſum complecteretur, ſuſtinerétve, cuius

quidem

quidem crucis quatuor extremitates liligeræ ſeſe ſubtus in quatuor armorum partibus exerunt. Huius quarti augmenti acceſſioníſve diuerſæ adducuntur rationes. Aiunt enim cuidam ex Portugalliæ Regibus aduerſus Mauros pugnanti in æthere Crucem adparuiſſe, quę ipſi & toti ipſius exercitui ingentes animos adderet. Regem autem oraſſe Deum vt Crucem illam non Chriſtianis tantum adparere ſineret, qui vim eius & efficaciam cognoſcerent, nomenque Dei & filij eius Ieſu Chriſti inuocarent, ſed etiam eandem infidelibus, qui illam non agnoſcerent, monſtraret: referunt autem Crucem illam ſtatim infidelibus adparuiſſe, ac eorum copias extemplò fuſas fugataſq; fuiſſe. Alij hanc prefatę additionis cauſam allegarunt: Ioannem ſcilicet (cui cognomen Bono) Regem Portugallię militem fuiſſe ordinis Dauidici; Ea autem militia ſymbolum habet crucem viridem quam ille armis ſuis (vt ſuprà dictum eſt) addiderit, retinuerintque ſucceſſores & poſteri omnes. Arma etiam multis aliis modis incrementum ſumunt. Nam & Reges Scotię primitus vſi fuere Leone rubeo in campo aureo, verùm quia poſtmodum ſuſcepti fuere in clientelam & protectionem Gallię Regum, adpinxere armis ſuis antiquis, bordaturam cœruleam circum ſeminatam Liliis aureis.

Arma Patronorum arma imitantia.

aureis. Quamuis hæc arma propriè in clypeis aut indumentis quorum in bello vsus est [e] ex primigenia eorum natura & inuentione, gestari deberent: tamen etiam depingi solent in vestimentis, etiam non militaribus, sicut & in tegmentis subselliorum, aulæis quæ aut sterni aut iniici solent, in stragulis & Babylonicis quæ equis insternuntur, lectorum item tegminibus, parietibus domesticis priuatis, sepulchrorum monumentis, vitreis fenestris, peristromatis, tabulis, vasis, annulis, in ensium aut gladiorum capulis: Ouid. loquens de Ægeo & Theseo eius filio,

[e] Quibus in rebus arma pingi consueuerunt.

Sumpserat ignara Theseus data pocula dextra «
Cum Pater in capulo, gladij cognouit eburno «
Signa sui generis. «

Supellectili deniq; omni impinguntur aut inscribuntur. Nec priuatis tantùm rebus, verùm etiam publicis. Nam qui donat aut legat pecuniam, vt inde aliquot opus fiat, scilicet templum, ædes sacræ, Xenodochium, aut arà in templo siue imago, potest is nomen & arma sua gentilitia operi adpingere, nec inde abradi debent.[f] Quod etiam procedit, etiamsi non totum sumptum aut impensam

[f] Text. est in l. Qui liberalitate ff. de Oper. Publ. Not. Albericus in l. Legatum per illum textum in fine ff. de Administrat. rerum ad ciuitatem pertinent. facit. l. finalis in fine C. de Statuis.

pensam fecerit, sed partem tantummodo: hoc tamen est animaduertendum, quod qui ponunt arma sua in Ecclesiis, quas extruunt, aut in ornamentis, quæ donant Ecclesiis aut locis piis, perdunt meritum & acceperunt mercedem suam,[g] si tamen ad hoc extruunt aut donant vt videantur ab hominibus. Deferuntur etiam hæc arma in pompis funeralibus Nobilium cum galea, tunica militari vulgò *Cotte d'armes*, ense, calcaribus aureis, manicis & aliis huiusmodi: quemadmodum mos etiam fuit antiquis temporibus apud Romanos, vt Imagines maiorum in funeribus ducerentur, quod testatur Plinius disertè, & reliqui authores, & Cicero pluribus locis, sed præcipuè secundo de Oratore. In quarum quidem imaginum locum Gulielmus Budæus vir omnis antiquitatis peritissimus, existimat arma gentilitia successisse, cum quibus certè illæ multa habent communia. Et sicut hodie qui arma gentilitia non habet, ignobilis habetur: ita qui olim maiorum imagines non ostendebant, terræ filij, Manij, noui homines, & obscuri æstimabantur. Tranquillus in Vespasiano. Flauia gens (inquit) obscura, illa quidem ac sine maiorum imaginibus, sed tamen Reipub. nequaquam pœnitenda. Vnde factum est, vt imagines, pro splendore generis & Nobilitate accipiantur,

g Geminianus in c. duæ sunt c. medium. XLV. distinct. quem refert & sequitur Gerardus de Laudriano in c. Dilecta in apostillis ad Panormitanũ Ext. de Excessibus Prælatorum.

piantur, cuiusmodi phrasibus pleni sunt Latini authores. Cereæ certè imagines in atriis domorũ, & armariis disponebantur, quas ita illi colebant, ac si illi quorum vultus exprimebantur viuerent. Quas festis diebus & in summa gratulatione & lætitia laureis sertis & floribus ornare, illorumque natales dies festâ luce celebrare solebant. In luctu verò & gemitu familiæ, tanquam conscij doloris essent & tacita mœstitia funestarentur, deformare; tantoque honore dignos putabant, vt illas cum singulis imaginum titulis illorum præcipuè quorum dignitas maximeque res gestæ fuere, in exequiali põpa & apparatu funeris extra ædes producerent, & longâ serie veluti familiæ decora repræsentarent, illæque defunctorum exequias, & vnà funus comitarentur: Ita tradito more, vt domino aut aliquo ex familia vitâ functo illius imago tam circa limina domus quàm pro foribus locaretur, vt defuncti desiderium repræsentata illa species leniret, posterosque ad præclara facinora domi forisque obeunda inuitaret, in eisdem quoque atriis & forib. ac circa domorum limina, hostium spolia quos quisque vicisset, etiam enses & clypei, galeaque & currus ac deuictarum nauium rostra, veluti auitæ gloriæ, & fortium factorum ornamenta affigi assueuere, quæ quanto vetustiora erant,

erant, tanto plus decoris & maieſtatis habebant. Ideò nec vetuſtate conſumpta reficiebantur, nec effracta reſarciebantur. Hæc enim omnium ad ſe vertebant oculos quo intuentium animos cogitatio ſubiret vt pari ipſi exemplo ad magna facinora magnaſque res inſitarentur, nec ſolùm priuatas domos, ſed porticus & Deorum templa hoſtilibus ſpoliis tanquam trophæis exornare vetuſti moris erat: tantique exempli fuere vt illa poſteris non mediocris ſtimulatio fuerit, ne degeneres ipſi néve ignaui tam claros triumphos turpibus factis dictiſque fœdarent. Adeoque hæc propria familiæ ornamenta ſunt habita, vt quamuis alienatis ædibus nouo Domino ſpolia & imagines refigere non liceret. Haſque ſtatuas, quibus ſplendor & vetuſtas familiæ notabatur, amouere eſt habitum nephas. De Imaginibus autem ita ſcribit Plinius lib. 35. c. 2. Apud maiores in atriis imagines erant, quæ ſpectarentur, expreſſi cera vultus ſingulis diſponebantur armariis, vt eſſent Imagines quæ comitarentur gentilitia funera, ſemperque defuncto aliquo, totus aderat familiæ eius qui vnquam fuerat populus. Stemmata verò lineis diſcurrebant ad imagines pictas. Tabulæ verò codicibus implebantur, & monumentis rerum in magiſtratu geſtarum. Aliæ in foribus & circa limina animorum

ingentium imagines erant, affixis hostium spoliis, quæ nec emptori refringere liceret: quæ etiam dominis mutatis domus ornamenta erant. Cicero 2. de Oratore. Brute quid sedes? Quid anum illam Patri nuntiare vis tuo? Quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? Quid maioribus tuis? de anu, scilicet, Lunia cognata Bruti loquens, cuius funus efferebatur. Stemma verò dictum tanquam στεφανόμα quod sonat coronamentum: Nam illa insignia gentilitia siue imagines insigi, depingique solebant, in medio coronæ ex floribus compositæ; hinc etiam stemmata pro insignibus dici cœpta Iuuenalis Sat. 8.

Stemmata quid faciunt? Quid prodest Pontice longo
Sanguine censeri, pictosque ostendere vultus
Maiorum, & stantes in curribus Æmilianos?
Quis fructus generis tabulâ iactare capaci
Fumosos equitum cum dictatore Magistros
Si coram lepidis male viuitur?

Porrò ius istud imaginum non omnibus sine delectu competebat, sed his tantùm qui in Magistratu fuissent; Ideoque nec Marcus Tullius ius illud acquisiuit, nisi in ædilitate; sicut liquet ex vltima

vltima eius Verrina actione. Ob earum rerum (inquit) laborem ac solicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in Senatu sententiæ dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, Ius imaginis ad memoriam, posteritatemq; prodendam. Vnde adparet ex honoribus gestis imagines familiarum olim comparatas, quemadmodum & hodie nobilissimũ armorum beneficium conceditur à Principe ob res domi militiævè clarè gestas. Dixi nobilissimum illud priuilegium armorum quod à Principe conceditur, id est, ea arma quæ Princeps donat, nobilissima: nam priuata etiam persona, nobilis an ignobilis sit, nihil refert, propriâ auctoritate hodie arma sibi assumere potest eaque gerere; vt dixit noster Bartholus, in Tractatu de armis & insigniis. Sicut enim nomina indita sunt ad cognoscendos homines,[a] ita etiam ista insignia [b]. Et sicut nomina imponuntur ex animi arbitrio [c]: ita etiam & hæc insignia pro voluntate cuilibet licet assumere & portare [d]; Quibusdam [e] tamen videtur Bartholus nimis sese extendere, & quod sine distinctione verum non sit, quemlibet scilicet propriâ auctoritate sibi arma assumere posse, neque illud in rusticis locum habere, propter vsitatam & obseruatam inuiolabiliter consuetudinem: iam inde ab antiquis-

[a] L. ad cognoscendum C. de inge. manu. §. si quis in nomine Instit. de legatis.
[b] L. Sanctum ff. de Rer. diuis.
[c] D. l. ad cognoscendum, aliàs ad recognoscendos. L. falsi in Princip. ff. de falsis.
[d] Barth. in tractatu de armis & insigniis.
[e] Chassanæo in Catalogo gloriæ mundi in 1. parte 28. conclus.

ſimo tempore, quo ruſtici vſu armorum caruerunt. Communis nihilominus eſt opinio, ſecundum Panormitanum, [f] quod quilibet ſibi aſſumere poſſit, quæ volet arma atque inſignia. Quod equidem ſanè intelligendum eſt. Nam in primis ab alienis armis abſtinendum eſt, & ignobilis arma aſſumens, cauere etiam atque etiam debet, ne nobilium arma ſumat, idque certè non de ſpecie tantùm, ſed & de genere dicendum eſt. Finge enim more cuiuſpiam gentis alia eſſe nobilium inſignia, alia ignobilium, vt apud Agathyrſos humiles ignobileſve minutis rariſque notis in inſignibus, Nobiles verò latioribus & denſioribus vtebantur, vt auctor eſt Ammianus Marcellinus. Apud Agathyrſos itaq; ignobiles non poſſent latas notas in armis ferre, auctore Panormitano, loco præcitato. Et ſi ferant, falſum committunt, pœnaque falſi puniuntur. [g] Sicut qui ſe pro milite gerunt cùm non ſint militaribus vtentes inſignibus. Alterius priuatæ ſcilicet perſonæ quoque arma gentilitia non ignobilis ſolùm, ſed nobilis etiam geſtare prohibetur, tunc potiſſimùm quando inde damnum, iniuria aut præiudicium naſci poteſt; [h] quod multis modis accidit: fit enim non rarò, vt aliquis propter peruerſos mores

[f] Ad c. dilecta Extra de Exc. Prælat.

[g] Text. & ibi Bart. in l. eos §. qui ſe pro milite, quem text. ponderat ibi Bartolus contra illos qui ſe aſſerunt doctores, cum non ſint ff. de falſis.

[h] l. Minimè c. de Epiſcop. audientia d. c. Dilecta argum. l. Iudæis. Alexander in l. ſi vnus col. c. de Teſtam. Baldus in l. 1. c. quæ res vendicari non poſſunt.

res odiosus sit quàm plurimis; & ideo eius vitæ insidientur multi. Is si hominis quieti & pacifici arma portet, sumatque, non facit id sine præiudicio damnoq; manifesto illius; posset enim propter armorum similitudinem alter pro altero interimi, quo casu, aut alio simili, poterit is cuius interest, prohibere tali, arma scilicet alterius assumenti, ne iis diutius vtatur. Idem dicendum est, si ex hoc pudor primi aliquo modo lædatur[i]. Sed & Iudex ex Officio suo (ad quod spectat quies popularis) si viderit ex hac re scandalum oriri posse, aut subditorum discordiam, hanc prohibitionem, vel interdictum interponet,[k] sicut & lex Iulia faciebat, contra eos, qui pileati incedebant ne populus deciperetur. Ex prædictis colligemus, quod si alterius non intersit, nec inde verisimiliter lædi possit, non posse etiam huiusmodi prohibitionem fieri, verbi gratia, Anglus quidam anno Iubilei Romam profectus, ibi repperit Romanum quendam portantem arma Maiorum suorum suæuè familiæ. Adiuit Iudicem ab eo postulans interminaretur Romano, ne in posterum armis illis vteretur. Arbitratus est Iudex nullam Anglum actionis intētandæ causam habuisse satis idoneam, quod scilicet locorum vbi vterque habitaret, tanta esset intercapedo, vt ex huiusmodi

i Argumento l. Minime c. de Episc. audientia l. Iudæos quosdam c. de Iudæis.

k Argumento l. 1. §. sed & qui Domini c. de lat. lib. toll. c. in nonnullis extra de Iudæis.

facto Anglus lædi nullo modo posset. Atque in his quibus quadam publica facultate quis occupat sibi vsum, non licet querr, nisi ex vrgenti causa [l]. Quæ supra diximus vsque adeò vera sunt, vt nec cognatis nec affinibus liceat portare arma illius familiæ cui tantum sunt cognati aut affines, cùm ad solos agnatos spectet hæc facultas [m]: ita tamen vt in eorum etiam armis manifestæ notentur differentiæ. Nam qui capita sunt siue primogeniti suarum familiarum, apud hos arma remanent illibata, plena & integra, cùm in illis tanquam in capitibus splendor geniture effulgeat [*]. Alij verò omnes de familia arma quidem gerunt familiaria, siue gentilitia, sed non integra, cum aliquali scilicet discrimine, distinctione, additione vel diminutione. Quæ sanè consuetudo, per totam Europam (quaqua patet Christiana ditio) peræquè obseruatur: vt scilicet per illiusmodi differentiam, vnusquisque de agnatione dignoscatur, sciaturque propemodum, quo loco sit, quáve lineâ, primogenitorúmne, secundo genitorum, tertio genitorũ an remotiore. Differentiæ verò hac in re vsitatæ sunt fere huiusmodi. Secundò geniti portant signum illud quod vulgò lambellum vocamus, Gallicè *les lambeaux*, cum armis gentilitiis integris. Primogenito tamen sine liberis decedente

l L. penult. parag. sunt autem qui putant, ff. ne quid in loco publico.

m Textus in l. Ius familiarum c. de religiosis & sumptibus funerum.

* Andreas Hungariæ Rex Stephani Regis filius natus ex Thomasina Maurocena patritia veneta venetiás veniẽs arma gentis Maurocenæ assumpsit & vsurpauit alba tantum cruce cum paruo circulo illis adiecta quo discrimine quicũque postea ex ea familia progeniti essent à reliquis Maurocenis agnoscerentur.

dente, secundò genitus poterit portare arma familiæ integra, & sic dicendum consequenter de aliis [n]. Tertiò genitus portat bordaturam simplicem; Quartus bordaturam componatam, aut alio modo distinctam per endenturas, creuelaturas, aut seminatam besanis aut certè bendam seu barram, lunas, stellas, rasas herminas, aut alia huiusmodi; sed & secundò genitus sæpe arma sua gestat quadripertita ex patris & matris armis qui vnicus modus est portandi arma matris siue familiæ cognatæ; hæ distinctiones si prætermittantur, primogenitus certè optimo iure prohibebit, ne arma portentur integra, cogetque distinctiones quas diximus, vel alias similes adhiberi [o]. Cùm verò transeant arma tanquam sacra & nomen gentilitium in agnatos gentilesque, dici posset, quod ex concubina nati (quos Nothos siue Bastardos vocant) non deberent gestare gentilitia patrum suorum insignia [p]; non enim sunt de familia vel agnatione. Aliter tamen de generali consuetudine Galliæ & Italiæ, atque adeo ferè totius Europæ obseruari videmus, etiam inter Principes. Regum tamen Franciæ Bastardi, sicut cognomen patrum suorum gentilitium, ita nec arma quantumlibet mutata ferre possunt; Bastardi verò arma sua distinguūt ab

[n] Facit ad hoc argum. in c. quidam habens filium, de filiis natis ex matrimo. ad morganaticam contracto c. Mulier & c. filij nati & ibi gloss. in verbo filij si de feudis def. contentio sit in vsib. feudorum. Vide quæ suprà annotaui de armis Andreæ Hungariæ Regis.

[o] Facit c. omnes filij si de feudo defuncti contentio sit inter dominū & agn. vasalli. in vsibus feudorū.

[p] Baldus in l. cum legitimæ nuptiæ. ff. de statu hominū idem Baldus in l. generaliter parag. fin. C. de Instit. & substitut.

armis legitimorum barrâ quadam incipiente à sinistra vsque ad latus dextrum, transeunteque medium clypeum[q]. Notandum tamen quando illa barra incipit à dextris tenditq; ad sinistrum latus, designare genus illud esse legitimum, prout est videre in armis Ducum Borbonij qui legitimè sunt procreati ex Regio sanguine sancti Ludouici Regis Franciæ. Dubitatum fuit in legitimatis per rescriptum Principis, an possint scilicet gestare arma familiæ, vnde orti sunt, sine barrâ transuersali, & dicendum est, non posse, si simpliciter tantùm fuerint legitimati. Si verò ita legitimentur, vt in feudo, emphyteusi, armisque familiæ succedant, atque hoc in rescripto exprimatur, posse arma sine barrâ ferre[r]. Legitimati verò per subsequens matrimonium, habent plenam potestatem deferendi arma gẽtilitia integra[s], quia scilicet habentur pro suis, habentque iura suitatis. Nunc, videamus, an arma hæc emi vendíve aut alienari possunt: & quidem considerandum est, quod quædam arma sunt, quæ competunt alicui ratione officij, dignitatísve ac personæ quàm gerit, hæc nemini concessum est vendere,[t] transire enim debent ad successorem in officio. Quædam rursus arma nobis competunt iure familiæ, quæque à maioribus

q Plene per Guill. Benedicti in sua repet. c. Raynutius in verbo Raynutius de cler. Num. 31. Extra de Testam. Chassan. in Comment. ad Cõsuet. Burgundiæ Tit. *des successions des Bastards* art. 3 Versic. Iuxta prædicta cum duobus sequẽtibus.

r Gloss. in verbo legitimi, d. c. Naturales. Bald. in l. eam quam C. vnde liberi col. 12. in fine Guillel. Benedicti in sua repetit. c. Raynutius in verbo & vxorẽ nomine Adelasiam, num. CLXXXIX. de Testam.

s c. Tanta in princ. & ibi gloss. Extra qui filij sunt legitimi.

t Argumento l. quædam ff. de pœnis l. 2. in fine ff. de capt. & postlim. reuersis.

maioribus accepimus, neque hæc transeunt extra familiam, aut vendi possunt, nisi cum consensu totius agnationis. Si arma Princeps cõcessit, idem quoque dicendum est, non posse scilicet alienari, præsertim quando toti agnationi ac posteritati donata sunt, quemadmodum ferè fit. Alia rursus arma sunt: quæ quis propria sibi assumit auctoritate, aut quæ emit ab alio, casu quo possunt vendi, & dubium certè non est, quin hæc possint alienari. Quomodo pacto aut testamento arma transferantur in alienam familiam suprà attigimus. Si igitur reperiatur quispiam qui vltimus sit suæ stirpis, aut agnationis, nec quispiam sit reliquus ad quem iure propinquitatis & successionis arma deuoluantur; poterunt ea alicui relinqui qui etiam vniuersorum bonorum, aut partis instituatur hæres, cuique cum bonis relinquatur nomen gentilitiũ,[v] & hoc modo institutus hæres cum onere scilicet assumendi cognomen, & arma testatoris, poterit adimplere illius voluntatem & consequi commodum.[x] Neque aliter nisi adimpleta testatotis voluntate consequetur commodum. An verò arma aliena longâ tẽporis præscriptione acquiri possint, accurrate explicat Chassaneus[a]. Variari porrò & mutari pro libito non possunt,

 quum

v Prout hac ætate videre est in Alexãdro Arenbergio Principis Arenbergici filio tertio genito qui ab Auunculo Carolo Croio Duce Arscotano per Testamentum in maximâ partem bonorũ Auunculi sui adoptatus est: câ lege vt in posterum familiæ Croiæ, arma nomenque sibi suisque vsurparet.

x Notatur in l. facta, parag. si sub conditione versic. in danda ff. ad Trebellianum.

a In Catal. glor. mundi 47. & 48. conclusionibus.

quum nec nomen variari sæpiùs possit [b]. Quo facit illud, quod qui titulum semel assumpsit, non potest illum inscio Principe variare [c]. Sed quid refert vtrum quis arma gerat principali sibi concessa priuilegio, an proprio inuenta iudicio, ac priuatâ assumpta auctoritate? Et sanè plurimum, vt cōcludit Bartholus in suo Tractatu de armis & insigniis: multis enim nominibus gloriosius & conducibilius censetur, armis vti à Principe donatis, sicut & dignius testamentum esse dicimus, id quod factum est coram principe [d]. Nam qui huius generis arma ferunt, prohiberi non possunt ab alio, ea portare [e]: dummodo scilicet Princeps non concessit arma alicuius magnatis seu alterius ex antiqua nobilique oriundi familia. Sed & si duo iisdem vtantur armis, neque satis de tempore constet, vter eorum ea prius habuerit, is sanè præferetur qui insignia à Principe est consequutus [f]. Si deniq; contingat duos aut in exercitu aut alio loco esse, atq; ibi quæri vtrius sit præcedere, vtriúsue arma præire debeant? Illa scilicet arma præcedent, quæ Princeps concessit [g]. Quæ tamen omnia intelligenda sunt ita procedere, si cætera paria sint; alioquin illius arma præcederent, qui esset in maiori dignitate constitutus [h]. Nostris sanè moribus, hoc est Flandrorum, arma Prin-

cipis

b L. 1. parag. qui in rationibus, ibi, vel rem amouerint l. falsi nominis ff. de falsi. l. Titio in princ. ff. ad Municip.

c. Ex ratione l. eos parag. qui se pro milite & ibi Bald. ff. de fal.

d L. Omniū, C. de Testamentis.

e L. 2. c. de Iureiurando ff. de minoribus 25. annis l. Minor magistratus in princ. & parag. 2. ff. de Minoribus.

f L. si duas in princ. ff. de excusat. tutorum.

g L. fin. ff. de alb. scrib. l. 1. c. de Consul. lib. 12. c. per tuas ext. de Maiorit. & obed. argum. d. l. si duas.

h Argumento d. l. 1. ff. de Alb. scrib. & d. l. 1. c. de Consulib.

cipis concessa beneficio, maiorem præstant dignitatem, quàm ea quæ quis priuatâ sibi sumpsit facultate. Nihilominus si hæc vltra quartum gradum processerint, paris censentur cum illis honestatis. Cæterum præ omnibus armorum generibus excellentissima ea existimantur, quæ in vnoquoque dominatu, principatu, seu Regno, armis Domini Principis seu Regis sunt quàm simillima. Nam vt omnino eadem sint vix fit, neque Reges possunt aut debent permittere, vt quis inferior se in ditione sua arma Regia ferat integra, non concisa, nihil immutata. Communicare tamen possunt aliquid de suis, quemadmodum videmus in Regibus Franciæ, qui lilia sua aut colores armorum suorum, vel etiam vtraque concisè tamen Principibus Regni cõmunicauere, tam manifestâ constitutâ differentiâ, vt horum arma sine vllo negotio à Regiis armis discerni queant. Si quis erit igitur qui in Francorum Regno (cuius Rex pro insignibus gerit tria lilia aurea in clypeo cæruleo) illis similia insignia habet, aut de Regiis armis participat, insignia certè dignioris notæ gerere putabitur[i]. Cuius notæ ea sunt quæ gestant Regum filij, item qui ex his nati sunt sicut hodierni Reges Nauarræ, Duces Aureliæ, Andegauiæ, Alenconij, Artesiæ, Biturigum, Borboniæ,

i Argumento text. in c. Perlectis 25. dist. & per gloss. in verb. altiori in §. Aliam vero. instit. de Bonor. possessionibus.

Burgundiæ, Engolismij, Nemorosij, Niuernij, Montispenserij, Vindomij, atque alij præterea nonnulli. Carolum etiam Magnum Imper. Aug. olim cognouimus quinque Paribus Franciæ Ecclesiasticis (is enim duodecim Regni Pares instituit) arma largitum fuisse, & in iis liliorum vsum. Episcopus autem Bellouacensis, vnus ex Paribus, quia æquor clypei sui erat aureum, in quo adaptari lilia aurea minimè possunt, cùm id sit contra rationem disciplinæ Heraldianæ (quâ cauetur ne metallum constituatur super metallum) arma à Carolo non accepit. Sunt etiam & alij quidam extra Regium stemma nati, quos Rex armis dictæ notæ honestauit, sicut Domini de Tournon in Delphinatu, qui licet non sint de Regia prosapia, gerunt tamen lilia in armis suis (vt loquimur) seminata. Habent enim arma bipertita, & in media clypei parte, dextra scilicet, leonem eleuatum, quæ sunt antiqua arma Troiæ, in parte læua sunt lilia seminata, quę sunt arma Franciæ [k]. Quamuis filij Regij regis armis vti possunt, cum distinctione tamen: Nihilominus non rarò iis relictis, vsi fuere vxoriis armis. Sic Dominus Robertus de Francia Burgundiæ Dux frater Regis Henrici I. gessit pro armis tres bandas aureas, tres azureas cum bordatura rubea. Hugo de Francia frater Regis

[k] Ioannes le Maire in Illustr. Galliæ lib. 3. 1. c. Incipiente. *Touchant la Cité de Troye.*

gis Philippi I. arma etiam vxoris suę gessit Comitis Viromandiæ: Robertus de Francia Comes Druidum vxorem ducens Comitem de Brenna illius etiam armis est vsus; verum ad hoc contractu antenuptiali obligatus. Petrus de Francia frater prę.[ai] Roberti, & Regis Ludouici Iunioris, vxorem duxit Isabellam hæredem ditionis Cortenacensis, cuius arma sumpsit, gessitque. Omnes tamen prædicti Principes ostendere volentes originem suam esse ex Francorum Regibus, sepulchra sua curarunt vndique liliis depingi & decorari. Philippus verò Augustus Francię Rex animaduertens hanc relinquendorum gentilitiorum armorum rationem, & assumendi arma vxoria consuetudinem, non esse satis decentem, neque familiæ suæ conuenire, statuit ne Regum filij arma gentilitia sua vsqueadeo negligerēt abiicerentque, sed si vellent arma vxorum assumere, scutula sua saltem liliis distinguerent, onerarentque. Sed quid dicendum de armis quæ Princeps suis quidem similia largitur, sed alicui extra propriam ditionem? Ea profectò non esse tantæ dignitatis, quantæ existimantur ea, de quibus proximè locuti sumus. Et certè maiori honori fuisset alicui ex proceribus Bohemiæ consequutum fuisse pro armorum insignibus, Leonē rubeum cum cauda bifur-

cata in campo aureo (hęc enim arma sunt Regum Bohemiæ) quam Bartholo de Saxoferrato Iuris nostri interpretum Antesignano, in Italia nato & habitanti. His autem insignibus se donatum fuisse scribit Bartholus [l] à Carolo IIII. Imperatore Aug. & Bohemiæ Rege, cuius erat Consiliarius & Orator. Operæpretium etiam est aliquid dicere de modo, quo quæ in armis ponuntur, pingenda sunt, ne scilicet committatur solœcismus. Et hîc quidem imprimis attendendum est, ad id vulgò quod dici solet, Artem imitari naturam. Ne quid igitur contra decorum pingatur, obseruãda est earum rerũ natura, quę in armis ponuntur. In armis certè creberrimè ponuntur animalia, bestiæ terrestres, pisces aut volucres, flores, arbores, aut similia. Animal igitur in armis figurandum est, prout ex sua natura situm est, & in nobiliori suo actu, quo potissimum vigorem suum demonstrat. Sic Ceruus cornibus reflexis, & pedibus ad cursum compositis figuratur: Gallus erecto collo ad crocitandum: Piscis passis branchiis ad natandum: Ouis planè ambulans: Aries cornibus & fronte ad concurrendum compositis: Leo ambobus pedibus anterioribus erectis, ore aperto ad mordendum; quamuis ad Leonem quod attinet, hoc obiter dicẽdum videtur, ex disciplina Heraldica, hunc perpetuo

[l] Barth. in Tract. de Armis & insignis num. 3. vide Mart. Laud. in suo tractatu de leg. maxime Princip. in conclus. 35.

perpetuo sic (vti dixi) figurari, ad differentiam Leopardi, qui semper ambulans pingitur, vsqueadeo, vt si Leo pingatur in armis non erectus, sed ambulans, & pronus, Leo Leopardus dicatur: sicut & Leopardus Leonatus, si erectus in Leonis speciem depingatur. Hoc etiam in Leonibus est speciale, quod semper monoculi pinguntur. Cauendum etiam ne aues pingantur in aqua, nisi sint amphibiæ, aut pisces siue animalia terrestria in aëre. In floribus hoc considerandum, ne contra eorum colores, magnitudinem consuetam, & naturalem siue ingenitam, locum in quo nasci consueuerunt, quid peccetur; idem in fruticibus & arboribus. Quamobrem inepta iudicabuntur arma in quibus Hyacinthus, Narcissus, Liliúmve picta sint viridia, eaque nascentia in rupe, quibusque insidiat accipiter, aut Aquila, cùm hęc genera florum nec eo colore reperiantur, nec tali loco nascentia, neque tantæ magnitudinis, vt naturaliter queant tantum pondus sustinere. Porrò hoc tacere nolo, quod quidam inuestigarunt, notaueruntque, Arma quæ ex auibus sunt minoribus, turdis, passeribus, alaudis, turturibus, coruis vel maioribus, vt ex gruibus, vulturibus, aquilis, gryphonibus, initium habuisse à Romanis: quamuis hodie videamus Septentrionales Principes, & Ger-

manos, arma sua plerumq; ex Aquilis, Gryphonibus, & id genus auibus cōposita habere. Ex Aquilis Rex Poloniæ, Marchio Brandenburgēsis, Principes Silesiæ, Morauiæ, Prussiæ, Burggrauij Magdenburgenses, Comites Tyrolis, & plærique alij Principes, Prouinciæ & Ciuitates. Ex Gryphonibus Wandalorum Principes, item & Cassubij, Stetini, Pomeraniç, Vsedomij, Wolgasti, Rugiæ & Barthiæ, Comites Styriæ. Arma rursus quæ ex animalibus sunt quadrupedibus, notarunt illi ijdem orta esse ab Hunnis, Hungaris, Gotthis, Longobardis, Wandalis & populis Septentrionalibus. Et sanè etiamnum Reges Daniæ, Norwegiæ, Angliæ, Scotiæ, Bohemiæ, Duces Normannorum, orti ex veteribus Daniæ populis, Principes Misniç, Brunswicenses, Luneburgenses, Iuliacenses, Palatini Rheni, Lantgrauij Hassiç & Thuringiæ, antiqui Duces Sueuiæ, Burggrauij Norimbergenses, omnes ferè inferioris Germaniæ antiqui Duces, Comites Palatini, & Principes, vsi fuere in armis, diuersi coloris leonibus, sicut & hodie infiniti Domini & Barones in Germania; hi equis, hi bobus, hi lupis, hi agnis, hi ceruis, hi aliis quadrupedibus, arma ornata gerunt. Arma denique quç sunt ex pallis bandis (quas Itali *Banderias* vocant) aut fessis, item ex tignis (quæ Galli *Che-*

Tramites perpendiculares, transuersales, plani.

urones

urones vocant) Orlis, gyronis, crucibus, quæ diuersarum sunt specierum; nam aliæ Saltoriæ dicuntur, aliæ Patteæ, aliæ fixæ, aliæ in extremitatibus patulæ, item potenciatæ, aliæ florenciatæ, aliæ cruciatę, quæ singulæ quales sunt in tabula pictas ostendit Chassaneus in prima parte Catalogi glorię mundi: quæ item sunt ex Besanis, aut tortellis, ex cotissis, ex denturis, engrelaturis, lozangiis, fusis, refreturis, scachis, billetis, vndaturis, lunis, floribus, orta videri à Gallis aut Britannis. Quorum tamen signorum, quędam in armis hodie regulariter non ponuntur, sed tantùm accessorię. Sed (vt redeamus vnde defleximus) si arma in vexillo geruntur, quod hastę infixum sit, animal in vexillo pictum, facie debet hastam respicere, cùm de natura faciei sit, vt antecedat, & de natura hastę, vt vexillum præcedat. Idemque omnino dicendum est in omni re & figura, quæ habet partes, quæ denotantur per anteriora & posteriora. Nam tunc semper anterior pars debet esse versus siue respicere hastam, alias videretur retrogredi quod contra naturam esset, & monstrosum. Verum si animalis pars anterior, puta vri, apri, leonis aut gryphi caput portetur in vexillo; tunc non illius partis anterioris pars anterior respiciet hastam, sed ipsum latus. Quando verò por-

tantur arma in veſtibus militaribus (quas Galli Cottas armorum vocant) tunc pars ſuperior armorum erit verſus caput hominis, pars verò inferior verſus pedes. Item ſi in pectore portentur arma, pars eorum nobilior reſpiciet latus hominis nobilius, id eſt, dextrum; ſi autem in tergo, pars armorum nobilior, reſpiciet latus ſiniſtrum. Rationem allegat Bartholus, fingitq; hominem habentem faciem retro vel auerſam; quod ſi accidat, procul dubio latus quod erat antea ſiniſtrum partis poſterioris fiet dextrum. Si arma in penulis equorum pingantur, eorum pars nobilior reſpiciet caput Equi. Si in tegminibus lectorum, lodicibus ſeu ſtragulis, conſiderandum eſt eſſe quædam tegmina ſtrata, id eſt, quæ planè iacent, quędam quæ pendent, ſicut ſunt cortinæ, tentoria ſiue papiliones (vt vocant) aut conopæa quæ lectis circumdantur ad arcendos culices & muſcas & in tegminibus iacẽtibus ſiue ſtratis, forma pingendorum armorum ſumitur ex forma hominis decumbentis iacentíſve in lecto: in tegminibus verò pendentibus ſumitur forma ex forma hominis erecti, vt fit in periſtromatibus ſiue aulæis. Arma itidem ſæpenumerò inſculpuntur ſiue inpinguntur muris, & tunc imaginandum, parietem voluere faciem ſuam verſus nos: ſicq; cognoſcetur

tur

tur latus dextrum parietis quò quidem pars armorum nobilior ſemper reſpicere debet. Si autem locus vbi arma pinguntur habet ſe vt cœlum (ſicut ſunt loca concamerata) tunc præcognoſcendum eſt quod dicatur caput cameræ, atq; fingendus homo iacens, vultum verſus nos voluens, vnde innoteſcet pars dextra & ſiniſtra, & ſic modus depingẽdi arma inuenietur idoneus. Si verò locus ſe habet vt terra humúſve, erit eadem habenda conſideratio. Hoc tamen notandum, quod quamuis arma ſua quis pingere aut ſculpere humi poſſit: tamen arma Domini vel Principis ſui non; item minimè omniũ Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti [m], quamuis contrarium aliquando obſeruetur. Nunc materiam proſequentes, adferemus aliquid de ſcutorum in quibus arma pinguntur forma: item de quibuſdam aliis quę ornamenti gratiâ adpingi conſueuerunt; Galea ſcilicet, litra, zona, & aliis tymbrorum generibus; nam de coloribus vltimus erit ſermo. Scuta igitur fiunt diuerſimodè, aliquando forma triangulari, interdum quadrangulari, rotunda, aut ouali, qualia hodie Itali gerunt. Aliquando ea forma quæ in ſuperiori parte duos angulos habeat, in inferiori verò rotunditatem, quæ forma hodie eſt communior inter Gallos, Britannos, Hiſpanos & Germanos. Tymbrum

[m] c. Nemini licere ſignum Saluatoris Chriſti humo vel in ſilice ſeu marmore aut inſculpere aut impingere

De Tymbro.

brum verò generali voce dicimus id omne, quod armis adponitur, aut ad significandam officij dignitatem, aut ornamenti gratiâ. Pontifex Romanus Tymbrum suum gerit ex Tiara: Imperator Aug. ex Imperiali diademate: Reges ex corona: Cardinales ex galero rubeo: Patriarchæ, Archiepiscopi & Legati de latere Pontificis, ex cruce: Duces, Marchiones & Comites, ex corona & pileo illius dignitatis: Episcopi ex mitra & pedo siue baculo pastorali, aut ex galero viridi: Protonotarij Apostolici, ex galero nigro farcito viridi colore. Equites denique omnes (quos Galli, Itali, Hispani, *Caualleros* vocant) pro Tymbro vtuntur super arma Galeâ ornatâ aliâ aliquâ notâ, arbore scilicet, animali, aut aliquâ re simili, estque auctarij ea res & corollarij vice. Verùm vt quis possit Tymbrum armis suis superponere, non suffecerit, eum nobilibus ortum parentibus, sed vltra natalium splendorem, oportebit eum esse in dignitate cõstitutum, aut saltem Equitem auratum. Nam & olim hoc inuiolabiliter obseruabatur in Hastiludiis siue torneamentis, vt nulli qui inferiores essent Equitibus auratis, arma tymbrata gestarent [m]. Tymbrum sanè ex animi voluntate & arbitrio assumitur, sed ferè fit, vt sumatur ex aliqua parte in ipsis insignibus contenta. Sic arma

Imperialia

m Gestantes autem prohiberi poterant à milite Equite aurato aut ab alio habente dignitatem vltra simplicem Nobilitatem.

Imperialia tymbrantur Aquilâ, Regis Gallorum lilio, Galliæ tamen Reges aliqui aliter tymbrarunt arma; nam recitat Francorũ Chronista Gaguinus in vita Caroli VI. Regẽ quum vidisset in silua, quę iuxta Siluanectum est, Ceruum æneam torquem collo gestantẽ, eum Ceruum cassibus & retib. viuum cepisse, in illa torque hæc verba fuisse inscripta, *Hoc me Cæsar donauit.* Ex eo tempore Carolum Regem Ceruum alatum auream torquem collo gestantem in insignibus suis pro Tymbro habuisse, imò duos ceruos hinc atque hinc arma Regia sustinentes; hoc sanè Tymbro Carolus VII. Ludouicus XI. & Carolus VIII. Francorum Reges vsi fuere; & meritò quidem, cùm hoc animal Francorum Regibus optimo semper omini fuerit[a]. Ludouicus verò Duodecimus vtrumq; latus armorum suorum ornabat herinaceis: sicut Franciscus Primus Salamandra. Equites Burgundi instituti à Philippo Bono Burgundię Duce ornant scuta sua torque aureo, in quo vellus aureum pendet. Equites Galli (qui sancti Michaëlis nuncupantur) circumdant arma sua torque aureo, contexto ex conchyliis, in cuius infima parte pendet Imago sancti Michaëlis Archangeli. Angli milites (quos Iareterij ordinis dicimus) ferunt arma circumcincta zonâ cum huiusmodi elogio,

[a] Guil. Benedict. in sua repetit c. Raynutius, in verbo, & vxorem nomine Adelasiam, nu. 894. cum duobus seq. ext. de Test.

Hony soit qui mal y pense. Duces Albæ ex familia Aluara Toletanaque, & Duces Suessæ ex familia Cordubensi Nobilissimi Hispaniæ Reguli arma gentilitia tymbrant ornantque variis vexillis; quæ quidem olim ipsorum Maiores de hostibus tanquam trophæa pulcherrima, ceperint abstulerintque. Vulgus autem Nobilium arma tymbrat pro libito, aut arbore, aut flore, aut laqueo Amoris, aut Angelis, aut hominibus syluestribus, aut fæminis puerísve nudis, qui mos Germanis peculiaris est, aut simili aliâ re. Inter litram & zonam in materia ista, hoc interest, quod zona non claudit arma, cingitve omni ex parte; Litra verò omnino cingit, circumdatque. Quæ differentia potissimùm consideratur in Turonia regione Galliæ, vbi multi Nobiles alterutrâ vtuntur. Antequam hanc partem finiamus, etiam hoc indicatum voluimus, quòd quæ huc attulimus de Casside & Tymbro, quamuis ex disciplina Heraldica sint verissima: tamē in plerisque locis contra omnem honestatem non seruari, cùm impudentissimi plerique etiam obscurissimi, & ignobiles homines, passim sibi licere arbitrentur, tymbris vti, cassidibusque non clausis tantùm, sed etiam clathratis siue foricatis, quod tamen signum non dubiæ ingenuæque & potentis Nobili-

Inter litram & zonā quid intersit?

Nobilitatis olim esse solebat. Nunc quum omnia complexi simus, quæ in orationis nostræ initio spopondimus, si modò vnum accedat: de eo sanè tempus agendi, & locus videtur, vt hac parte expeditâ, sermonem terminemus. Arma igitur siue insignia gentilitia fiunt, aut ex metallis, aut ex coloribus, aut ex pennis (vt Armoristæ loquuntur.) Duorum autem metallorum præcipuus est in armis vsus. Auri nempe & argenti, quæ quidem figurantur per colores flauum & album, atque hîc primum animaduertẽdum venit, Ne metallum super metallum in armis ponatur, néve color super colorem. Hâc enim ratione ignobilium & obscurorum hominum arma produntur; qui temere nullâ huius disciplinæ habitâ ratione insignia sibi effingunt. Vnicam hæc regula exceptionem patitur in armis Regis Hierosolymitani, quę ex metallo super metallũ non sine efficaci ratione, composita sunt. Hic certè in armis Rex gerit campum argenteũ in eoq; crucem auream (vt loquimur) potenciatam, & quatuor alias paruas cruces etiam potenciatas, quæ arma initio non temerè contra normam ficta fuere. Gothofredo enim Bullonio virtute militari Regnum Hierosolymorum adepto, suaserunt Christiani Principes, belli & expeditionis socij, vt in sempiternam tam me-

De metallis in Armorum gentilitiorum disciplinâ.

Arma Regis Hierosolymitani contra normam & quare?

morandæ victoriæ memoriam, arma assumeret, quæ longè multumque à communi armorum forma, & norma differrent. Hac enim potissimùm ratione fieri posse, vt conspicatus quispiam arma tam enormiter & contra disciplinæ Heraldicæ rationem composita, moueretur ad enormitatis illius causam indagandam, & vel sic cognosci, & patefieri posse, mirabilem illam artem, modum & viam, quibus Regnum illud Gothofredus, cæterique Christiani Principes quæsiuissent. Porrò, colores in insignibus quatuor præcipuè in vsu sunt: Cœruleus, Rubeus, Viridis, Ater; & de his omnibus coloribus & metallis fit alius color mixtus secundum quosdam, quem illi purpureum vocant: Pennæ verò duæ sunt, herminæ scilicet & vair, siue varium: de quibus singulis agemus infrà, vbi de metallis & coloribus egerimus. Dicemus autem de coloribus non quidem vnde cōficiantur aut vnde nascantur; neque enim ista pigmentariis traduntur; sed de Nobilitate, significatione, & natura eorum. Alios colores, quorum in armis nullus est vsus, pictoribus & physicis relinquemus. Arma sanè aliquando ex nudis & simplicibus coloribus, hoc est, ex varietate quorundam colorum conficiuntur; qui mos tamen magis apud Italos quàm alibi vspiam, quod quidem sciam

De coloribus

De pennis in Armis.

ſciam, obſeruatur. Variantur itaque interdum duobus coloribus, & tunc eorum nobilior debet illi parti proximior eſſe, quæ reſpicit cœlum; vel ſi in vexillo ad haſtam geratur, debet eſſe ante, id eſt, in ea parte quæ reſpicit haſtam; ſi in veſte geratur, in ea parte quæ reſpicit latus dextrum. Aliquando fiunt hæc arma coloribus tantùm conſtantia quadripertita, ſiue variantur per quarteria, & tunc nobilior color debet eſſe in quarterio ſuperiori & anteriori: Idem dicendum ſi arma variantur per pallas, tramites perpendiculares, vel bandas, id eſt, trāſuerſos tramites, vel feſſas, id eſt, planos tramites, indubitatum verò eſt metallum metallo colorem colori præſtare, conſideratione ſcilicet & intuitu eius, quod refert aut quod repreſentat, aut prout quiſq; lucidiſſimus eſt, lucíve magis accedit, à tenebris autē maximè diſtat. Primū de metallis agemus, Auro ſcilicet & Argento, quæ figurantur pinguntúrve flaua & alba. Aurū * certè in armorum materia primum locum tenet, eſtque metallum nobiliſſimum; luci enim maximè appropinquat, ac à tenebris maximè recedit, ideoque in ſacris etiam literis Soli comparatur, eſtque omnium metallorum pretioſiſſimum & vtiliſſimum; ſi enim cum aliis metallis mixtū per ignem reſol-

De Auro in Armis.

* Vulgo quæ pretioſa quæ perfecta & ſuis abſoluta numeris eſſe ſignificamus, aurea vocitare ſolemus: ſic aureum ſœculum dictum, & mediocritatem Horatius lib. 2. carminum ad Licinium auream dixit.

resoluitur, tantum abest vt eo consumatur vt vnum ex omnibus metallis nihil de sua nobilitate & magnitudine deperdat, neque corroditur, neque imminuitur: pondus eius ab acribus, quod genus sunt sal, nitrum, acetum, succus ex vuis maturis expressus, neque infestatur vllâ rubigine, nec manus ab auro, si contrectetur, vt à reliquis metallis sordes capiunt, non est fragile, vnde malleo contusum magis quàm aliud metallum dilatatur; ideoque artis Heraldianæ periti aiunt, aurum in armis significare generositatem, fortitudinem, innocentiam, bonam voluntatem, nobilitatem, potentiam, iustitiam, solatium, sapientiam, fidelitatem, item alias multas virtutes quas declarat Gulielmus Benedicti [o]; inter Planetas autem assimilatur Soli, inter lapides preciosos Topazio, aut secundum alios Carbunculo, inter ætates Adolescentiæ [p], inter quatuor elementa igni, inter dies Hebdomadis Dominicæ, inter duodecim signa Zodiaci Arieti, Leoni & Sagittario. Et propter tantam auri nobilitatem, & excellentiam, nulli licitum est aureas vestes portare pręterquam Principi, & iis, quibus hoc propter Imperiale ministerium concessum est. Item eximij nominis Iurisconsultis qui gloriosè in Academiis Iura ciuilia interpretantur.

[o] Ad d.c. Raynutius, in verbo, Duas habens filias, à Numer. 100. vsque ad Numer. 107. de Testam.

[p] Multi enim longũ æuum affectantes illudque semper propemodum æquè viride, aurum distillatum bibunt vtque vires augeant animales & cor, vt loquuntur confortent & exhilarent, aurum inter capones decoqui iubent.

interpretantur. Sic D. Iason Maynus [q] patritius Mediolanensis, Iurisconsultus patrum nostrorum ætate in Italia summæ famæ, in aurea veste conspectus fuit Papiæ in Scholis, quum Ludouico XII. Gallorum Rege Genua subacta de Liguribus triumphante, quinque Cardinalibus & centum proceribus subsellia honoris causa implentibus, docuit dignitatem equestrem ob spectatum in acie facinus, de manu Regis traditam accendendæ virtutis ergò, ad posteros manare. Pessimè igitur tractant nobilissimum hoc metallum mercatores quidam, atque alij ex infima Nobilitate, qui contra illius maiestatem & leges vestiarias, vestes induunt, non tantùm ob aurum intextum, vel ob auratas paragandas graues, sed totas ex auro obrizo [r]. Scio etiam ad vilissimos vsus sæpe adcômodatum

q L. 2. c. de vestib. olob. & auratis, Horatius I. in arte Poetica aurũ ostrũ regale vocat his versibus:

Ne quicunque Deus quicunque adhibebitur heros,
Regali conspectus in auro nuper & ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas.

Hic adde quod ipsa diuina maiestas plurimo auro coli voluerit sicut adparet ex veteris instrumenti libris. Plurima enim ornamento templi Salomonis aurea fuere in sanctis sanctorum: aureum erat thuribulum, arca testamenti circumtecta ex omni parte auro in qua erat vrna aurea, habens manna, & tabulæ testamenti & Virga Aaron quæ frondueerat.

Rex Romanorum secundum scribentes triplici corona coronatur. Prima est ferrea quam recipit ab Archiepiscopo Coloniensi Aquisgrani, & significat fortitudinem qua vincere debet rebelles & infideles conculcare. Secunda argentea quam ingressus Italiam recipit à Mediolanensi Archiepiscopo Modœtiæ eiusdē diœcesis, & significat munditiam & claritatem quæ debet esse in Imperatore. Tertia est de puro auro qua coronatur per Papam in Ecclesia sancti Petri ad altare sancti Mauricij, & significat ipsum Imperatorem aliis Regibus & Principibus in potentatu & iustitia excellentiorem esse debere instar auri quod metallorum omnium est excellentissimum. Pro hoc singularis glossa in c. Romani §. Porrò, de Iureiurando in Clement.

r Superiori sœculo, Equites vulgò *Caualleri* vtebantur aurea toga, hinc passim videre est in templis Italiæ tales picturas.

Q

modatum fuisse aurum & contra naturam suam nobilissimam indignissimis modis tractatum, sed ab iis, quorum alia infamia facinora sine numero referuntur: notum est illud ex Lampridio de Heliogabalo, qui onus ventris auro excipere solebat, idemque in Murrhinis & Onychinis lotium reddebat, & iocus Martialis in Bassum,

Ventris onus misero nec te pudet, excipis auro,
Basse bibis vitro.

Videmus certè Principes & maximos Reges, ad se inuicem donariorum vice per legatos suos, aureas vestes mittere, eosque ægerrimè ferre (Reginas potissimùm) si huiusmodi vestibus inferiores induantur; quod vel vnicum Brugensium matronarum exemplum ostendit, quæ in grauissimam Franciæ Reginæ indignationem ob huiusmodi causam cum tota Ciuitate inciderunt. De quibus Flandrorum referunt Annales, cùm Philippus Pulcher Galliæ Rex, & Ioanna ipsius vxor Regina Nauarræ, capto Guidone à Dampetra Flandriæ Comite, Flandriam omnem (quam iam bello sibi quæsierant) peragrarent, venissentque Brugas, Ciuitatem tunc magnis opibus, & emporio florentem: vidisse fastum ac superbiam in

ea

ea ciuitate muliebrem (plurimæ enim mulieres in vestibus aureis conspicabantur, illæ autem ferè erant mercatorum vxores) ægerrimè Reginam hanc regiam pompam & luxum tulisse, & præ ira quodammodo insaniuisse, quod tot Reginas inuenisset, quum tamen censeret, se solam ibi Reginam & esse, & videri debere. Matronas Brugenses Reginas vocabat illa, quas regio more in aureis vestibus conspexerat. Atque hic fastus tam fuit Reginæ odiosus, vt totam Ciuitatem, non superbas illas mulieres tantùm, exosam habuerit, & grauissimis ac infinitis propè incommodis vexari curauerit. Secundum in armis metallum est, Argentum (quod Argyrion Græci vocant) vnde etiam Argyraspidas dicunt eos qui argentata scuta ferunt, sicut & Chryraspidas, qui aurea. Lampridius in Alexandro: Alexander Imperator Romanus non solùm fecit Chrysaspidas, sed & Argyraspidas; Argentum verò Auctore Plinio, quam aurum militaribus signis fuit familiarius, quod longiùs fulgeat. Certè metallum istud, quod colore albo figuratur, multum laudatur etiam in sacris literis; habetur in Apocalypsi, transumptiuè in c. Si enim, versic. Sin autem, de Pœnit. Dist. 2. habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in «

De Argento in Armis.

albis, quia digni ſunt. Qui vicerit, ſic veſtietur «
veſtimentis, & non delebo nomen eius de libro «
vitæ, & confitebor nomen eius coram Patre «
meo & coram Angelis eius. & rurſus in fine: Sua- «
deo tibi emere à me aurum ignitum probatum, «
vt locuples fias, & veſtimentis albis induaris, vt «
non adpareat confuſio nuditatis tuæ. & Apocal. «
7. Vidi turbam magnam quam dinumerare ne- «
mo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & «
populis, & linguis, ſtantes ante thronum & in «
conſpectu agni amicti ſtolis albis. & Matthæi. 17. «
Marci 9. Lucæ 9. refertur quod in transfiguratione Domini reſplenduit facies eius ſicut Sol, veſtimenta autem eius facta ſunt alba velut nix; & aliis præterea infinitis locis laudatur hic color, ſiue metallum, quod quidem inter Planetas comparamus Lunæ, inter lapides precioſos vnionibus, conchis, margaritis exaluminatis, hoc eſt, perlis, inter ætates hominis infantiæ, inter dies Hebdomadis ſignificat diem Lunæ (ſicut aurum diem Dominicum ſiue Solis) inter temperaturas ſiue complexiones humanas comparatur phlegmaticæ ſiue pituitoſæ, inter elementa Aquæ, inter ſigna Zodiaci, Cancro, Scorpio, & Piſcibus, inter virtutes etiam innocentiæ & puritati comparatur '. Nam ſolus hic color inter alios ſincerus,

' Significat inſuper & alias virtutes, humilitatem ſcilicet & formoſitatem.

cerus,

cerus, candidus, purus, est & minimè coinquinatus. Ideò Christus in resurrectione apparuit in vestimentis albis vt nix, tanquam purissimus, & innocentissimus. Hodiè apud Italos Virgines desponsatæ albis tunicis togisque vti solent ad integrum pudorem ostendendum. Ea quoque pars πανδέκτων Iuris nostri (quam vulgò Digestum vetus vocamus) propter simplicitatem & puritatem veteris Iuris, quod in ea tractatur, de omnibus scilicet contractibus & vsu iudiciorum, à Iure gentium introductis, solebat antiquitus albâ pelle vestiri. Significat etiam argentum hilaritatem. Ideoque olim apud Romanos, conuiuatores albati erant, id est, albâ veste vestiti[r]. Cicero in Vatinium. Cùm ipse Q. Archius epuli Dominus albatus esset. Denotat quoque victoriam, vnde triumphantes vestiebantur vestimentis albis, eorumque currus equis albis trahebantur, & Sancti qui per fidem vicerunt, visi fuere à Ioanne stantes ante thronum in conspectu Agni amicti stolis albis. Atque hæc sufficiat dixisse de metallis.

r Antiqui etiam Romani festos dies & natalitia albati celebrabãt. Ouidius lib. 3. tristium Eleg. 13.

Scilicet expectas solitum tibi moris honorem.

Pendeat ex humeris vestis vt alba meis.

Idem libro 5. Trist. Eleg. 5.

Quaque semel toto vestis mihi sumitur anno

Sumatur fatis discolor alba meis.

Dominica in albis, quam Ecclesia Christiana celebrat statim à Paschate, hinc dicta est, quod catechumeni baptizandi alba veste induerentur.

De coloribus quorum vsus est in armis.

lis. Sequuntur colores qui metalla non sunt, inter quos alij cœruleum, alij Rubeum primo loco constituunt. Nos Bartholum sequuti & plerosque Armoristas, Rubeum primo loco locabimus, quem etiam purpureum, cum eodem Bartholo vocabimus. Hic sanè color, qualis sit, maximè indicat animantium sanguis, & quo lana inficitur coccus, granum id Itali vocant, vnde vestis est coccina, nulli ignota; ostentat tamen præ ceteris rubeum colorem liquor purpuræ, cuius adeò gratus est color, vt si quid sit, quod paululum habeat ruboris, modò visui illud arrideat, & iucundum sit, plerumque purpureum dicatur; vt sunt violæ & varia florum genera. Fuit purpureus color olim in vestimentis laudatissimus: cuius authorem fuisse Herculem in libro de verbis idoneis ad Commodum Imperatorem primo scripsit Iulius Pollux, quam fabellam perquàm lepidam sic refert. Tyrij ferunt (inquit ille) Herculem captum amore Nymphæ indigenæ (quæ Tyrus vocabatur) quem sequebatur canis antiquo more. Nosti enim quòd simul cum heroibus canes in concionem ingrederentur, quare canis hic Herculeus irreptantem scopulo purpuram conspicatus ipsius prominentem carunculam mordicus arripuit, & pro cibo vsus est, cruorque labra canis colore puniceo

Color rubeus siue purpureus.

niceo siue Phœniceo infecit. Cùm igitur puellam Hercules adiisset, ipsa conspicata canis labra insueto colore infecta, negauit sibi quicquam posthac cum illo fore, nisi ad se vestem adferret, etiam canis illius labris splendidiorem & speciosiorem, saltem similem. Quocirca inuenta Hercules animante, collectoque sanguine munus puellæ detulit, primus, vt Tyrij dictitant auctor puniceæ infecturæ, siue purpurei coloris. Hoc colore tinctas vestes Imperatores Romani priuatis interdixerunt [u]. Erat certè purpura insigne Romanorum Magistratuum, quod innuit Martialis, dicens:

[u] L. 2. 4 5. c. de vestibus Oloberis lib. XI. item & Tit. quæ res vendi non possunt, libri 4. Cod.

Diuisit nostras purpura vestra togas.

Constatque Romanos veteres purpureas clamydes, trabeas, & togas pro muneribus misisse Regibus & amicis, & purpureâ veste Christum indutum à Iudęis, vt eum per derisionem Regem indicarent. Scripsit in Fabio Plutarchus signum prælij committendi Romanis Imperatoribus fuisse tunicam purpuream extēsam super prætorium; Lacedæmonij etiam in præliis, vsi fuere veste, quam purpuram vocabant, quæ cùm sanguini concolor esset, vulneratos fallebat, si sanguis per eam diffluerET, & ita sanguinis aspectus metum

eis non incutiebat. Hunc colorem rursus comparamus inter elementa quidem igni, qui est nobilissimum elemẽtum & corpus post Solem maximè luminosum, inter humanas temperaturas secundum nonnullos sanguineæ, secundũ alios cholericæ sanguineæ, inter signa Zodiaci, Arieti, Leoni & Sagittario, inter Planetas Marti, inter lapides preciosos illi quem Galli (*Rubis*) vocant, inter dies Septimanæ Sabbatho, inter virtutes æquiparatur Audaciæ & magnanimitati*. Veteres idcirco Græci, alterum Homeri Opus (quod Ilias dicitur) propter fortitudinem rerum ibi gestarum & memoratarum, & propter cædes de quibus Poëta loquitur, colore pingebant sanguineo: sicut Odysseam vbi idem Poëta describit Vlyssis maritimos errores, membrana contegebant cœrulea. Significat etiam iustitiam illam distributiuam, quæ in plectendis reis consistit. Hinc etiam veteres Digestum nouum (quod tractat de criminibus, delictis & eorum pœnis) rubeâ & sanguinolentâ veste induebant. Coloris rubei multæ sunt species, & rubeus color generale nomen est, ad omnia quæ quomodolibet rubent. Post purpureum in hoc genere omnium iucundissimus est color roseus, atque humano corpori si id formosum est, quàm simillimus; Itaque os, ceruicem, Papillas,

* Denotat etiam purpureus color lætitiam. Hinc est quod patritij Veneti purpura & cocco culti Ducis mortui funus comitentur, quo datur intelligi in quantumuis optimi Principis funere ciuitaté quæ libera est in luctu esse non oportere Sabellicus libro 2. Decadis 4.

Papillas, digitos roſeos Poëtæ dicunt, id eſt, candidos rubore ſanguinis penitus diffuſo cum venuſtate, iſque color propriè eſt (quem Itali incarnatum vocant.) Refert enim maximè omnium pueri nitorem ac virginis, non quidem roſam Mileſiam, quæ nimis purpurea ardere quodammodo videtur, nec rurſus albam, ſed quæ vtrimque decorem accepit, & quia corpus hominis imitatur, quod Italorum lingua vernacula carnem appellat eadem id genus roſarum incarnatum nominauit. A Phœnicibus color Phœniceus, Puniceus quoque dictus, flagrat velut viola flammea, atque ita à multis olim purpura vocata fuit violacea. Color hic in equo maximè laudatur, qui modò ſpadiceus, baius modò, badius etiam, & balius variis nominibus vocatus fuit. Termites enim palmarum cum fructu, ſpadices & baia Græci vocant; vnde equus ab equiſonibus appellatur baius. Cœruleus color rubeum proximè ſequitur, quo quidem niſi natura ipſa maximè gauderet, nunquam profectò Deorum hoc domicilium De colore Cęruleo.

Continuo circum complexu cuncta coërcens

ſpecie tam lætâ vniuerſum exhilaraſſet. Cœruleus igitur color dictus quaſi cœluleus (vt ex voce ipſa apparet) propriè eſt color Cœli, ſed ſereni, id quod

Ennius respiciens Cœli inquit cœrula templa, atque inde mare appellatur cœruleum: refert enim illud eundem, quem ab ipso supernè accipit, colorem. Hunc colorem Galli in insignibus Azurum vocant, & Græcorum quidam Luzurion dixere, de cuius excellentia multa scripsit Ioannes Ludouicus Viualdus in suo tractatu de pugna animæ sensitiuæ [a], qui cum Gulielmo Benedicto Azurium post aurum & argentum proximè constituit. Per hunc colorem significatur aër, qui est corpus transparens, & diaphanum maximè, receptiuum lucis, elementorum post ignem nobilissimum. Comparatur autem inter Planetas Veneri, secundum alios Ioui; inter signa Zodiaci, Geminis, Libræ, Aquario; inter lapillos preciosos Sapphiro, qui multas præstantissimas habet energias [b]; inter virtutes denotat Castitatem, Humilitatem, Sanctitatem & deuotionem, sed & laudem & pulchritudinem: inter elementa significat aërem; inter dies septimanæ diem Veneris. Solebant Persarum Reges hoc colore vestiri, sicut adparet ex historia Mardochæi ab Assuero Rege honorati in libro Hester, & hodie hoc colore apud Turcharum Principes, & Turcicam nobilitatem

[a] Art. de laudibus ac triũphis triũ Liliorum Franciæ q. 1. & Guil. Bened. ad c. Raynut. in verbo, duas habens filias, num. CXIII. vsque ad Nu. CXIIII.

[b] De quibus vide Guil. Bened. D. Rep. Num. CXIIII. & CXV. Vbi hoc quoque notandum videtur quod D. Ioannes in sua Apocalypsi scripsit de sancta ciuitate, cuius ciuitatis muri fundamenta dicit esse omni lapide pretioso ornata, in quem locũ scribens Primasius sic ait, istis similitudinibus lapidum omnium significantur decora & firmamenta virtutum quibus vnusquisq. sanctorum spiritualiter perornatur.

litatem nihil est frequentius. Ad hunc colorem refertur cæsius, sed vt doctissimi quidam viri monumentis olim tradiderunt, oculos tantùm cæsios veteres dixerunt, quibus inesset fulgor quidam visu horrendus; differt autem sine dubio à cœruleo etiam diphtongo. Differentia maximè M. Tullij Ciceronis auctoritate confirmatur, cuius hæc sunt verba libro primo de natura Deorum *Cæsios oculos Mineruæ, cœruleos esse Neptuni.* Vnde opinantur sicut Cæsar & Cæso dicuntur à cædendo, ita etiam cæsium à cæde nominatum esse: vt qui cæsius sit, cædem quodammodo oculis minari videatur. qualibus prælio gaudens & cæde dicitur fuisse Minerua, ex quo illa ab antiquo vocata fuerit cæsia; significat hoc M. Cicero, vbi de Catilina ait: *Notat & designat oculis ad cædem vnumquemque nostrûm.* quem Salustius scribit, fœdos oculos, id est, cæsios habuisse, quales etiam Neronis oculos fuisse accepimus. Sed si quis Leonum oculos inspexerit, is hunc colorem optimè cognouerit. Dicitur hic color à Græcis glaucus, sed latiùs patet quàm cæsius, nam ad alias etiam res quàm ad oculos refertur, quum & Vlua & Salix glaucæ dicantur, & Virgilius equos glaucos vocauit (quos Itali vocant Baios.) Sequitur color viridis quem tamen aliqui post atrum ponunt. De Colore viridi.

Hunc Galli *Sinople* vocant, qui quidem in armis non est vsque adeo frequens, licet plerumque signa, quæ dicuntur Besani, sint viridia: qualis sit hic color suppeditat exemplum herbarum multitudo, quarum in ipso virore tanta est tamq; varia viriditas, vt cùm illa sit infinita, nulla tamen æquè atque ex iis aliqua prorsus vireat, sed omnes inter se discolores videantur. Egregius inter colores, qui virent, prasinus multorum carminibus collaudatus, nunc viride porrum ab infectoribus vocatur. Ex auibus autem insignis est hoc colore psittacus, auis inde à quibusdam viridis appellata. Color hic viridis in oculis apud antiquos Græcos pro pulcherrimo habebatur, cùm Romani nigros magis laudarent, & Germani cœruleos. Non comparatur viridis color alicui ex quatuor elementis, sed solùm significat arbores, plantas, campos, prata, herbasque virentes [c]. Inter planetas compatatur Mercurio, inter Lapillos Smaragdo, visu iucundissimo, quoniam nihil omnino illo viret viridius; ille solus gemmarum implet oculos, nec satiat, quin etiam fessa alia intentione acies oculorum, visu smaragdi recreatur. Significat etiam iste color inter metalla argentum viuum, ex quo fit color viridis; inter ætates iuuentutem. Indicat item honorem, obsequium, ac spem,

c Inter dies Hebdomadis diei Mercurij, inter metalla argentum Viuum vnde conficitur viride, siue viridis color.

ſpem, vnde morem obſeruant Galli amicas procantes, vt ineunte & adulto vere quum frondent Syluæ, virent prata, cæteraque omnia, & formoſiſſimus annus de formoſis Nymphis & amicis bene ſperare iubet, viridi veſtium ſyntheſi ſeſe induant & ornent, vel eo modo innuentes, ſe de potiunda amica certò ſperare [d]. Colorum in armis infimus ignobiliſſimuſque, Ater exiſtimatur (quem Galli ſablium vocant) ideo certè quod tenebris proximus, & à luce maximè recedat. Diximus autem, colorem, quo magis luci accederet, nobiliorem videri, quod & Ariſtoteli, libro de Senſu & Senſato, placuiſſe video. Quamuis non deſint, qui arbitrentur hunc colorem honeſtiore loco ponendum, atque adeo inter alios primas obtinere, cæteriſque propter potentiam ſuam, & effectum, laudabiliorem, & nobiliorem, cenſendum. Siquidem in nullum alium colorem hic ater tranſmutari poteſt, ſed ipſe potius omnes mutat, opprimit, & extinguit; verùm hæc illi Philoſophicè. Nos cum Heraldis, vltimum locum ei dare voluimus quod luci maximè (vt diximus) aduerſetur, ſitque horribilis, velut anthrax, id eſt, carbo: nam propriè eſt prunæ extinctæ, id eſt, carbonis. Vnde ſcitiſſimè Terentianus Demea de Cteſiphonis filij amica,

[d] Viror ſpem ſignificat, de qua re vide omnino emblema Laurentij Medicei.

De colore atro in armis.

Denique ipso meridie faciam, vt stipulam colligat, Tam excoctam atque atram reddam quàm carbo est. Sanguis prætereà caloris atque coloris ignei particeps effusus ac frigefactus amisso rubore tanquam in carbonem mutatus, ater ab omnibus vocatur. Ad hunc colorẽ referimus colores fuscum, furnum, liuidum, ferrugineum, pressum, aquilium, pullum quem colorem terram omnino ostendit, quæ cùm mortuis iniiceretur, voluerunt veteres Romani, vt qui lugerent, pullis pallis terræ similibus essent amicti, vestéve atrâ inducerentur, [a] quamuis apud eosdem Matronæ funera comitarentur in veste alba tanquam recens mortui, quem efferebant colorem referentes, & in Græcia mulieres in veste coloris Indici, quæ cœrulei species est, amicorum funera sequebantur, quorum in Cœlum (quod hoc est colore) animas migrasse existimabant. Certè hodie per totam propemodum Europam mos obseruatur, vt lugentes veste atrâ induantur. Maiores etiam nostri eam Digestorum partem quam vulgus Infortiatum vocauit atrâ solebant pelle vestire, quod ea complecteretur materiam testamentariam, tractatumque de rebus hæreditariis bonisve defunctorum. Significat autem hic color simplicitatem, & dolorem, inde etiam illud locutionis genus

[a] Genero ff. de his qui not. infamia iunct. gloss. fui. l. decreto c. eodem.

nus emanauit, vt dies tristes & luctificos, atros vocemus, qui in fastis Romanorum carbonibus signabantur, vt contrà dies læti scrupis gypseis siue albis lapillis: vnde Horatius,

::::::::::::::::::::: *Cretâ an Carbone notandi.*

Denotat item hic color prudentiam & luctum. Porrò, inter planetas comparatur Saturno, inter complexiones Melancholiæ, inter ætates decrepitæ, inter metalla ferro, inter lapides preciosos Adamanti, inter dies Septimanæ diei Martis, inter Elementa terræ, inter signa Zodiaci, Tauro, Virgini & Capricorno. Cæterum qui omnibus supradictis coloribus adiecerunt Purpuram, eandem à rubeo colore distinguentes, dixerunt eam ex sex supradictis coloribus scilicet & metallis æquis ex omnibus sumptis portionibus, conflari: ideoque esse omnium colorum ignobilissimum, cùm ex aliis compositus ab iisdem omnem suam virtutem emendicet. Alij dixerunt purpuram, quam vltimo loco posuere, ex coloribus cœruleo & violaceo compositam, & significare in armorum materia temperantiam, liberalitatem quoque, abundantiam & diuitias. Porrò comparant purpuram Ioui, stanno siue plumbo, rubro, & nu-

De duabus pennis.

bibus. De duabus autem pennis (vt Heraldicis verbis vtamur) vna dicta est Vair, hoc est, varium, altera Herminæ; Varium verò ex cœruleo constat & argenteo. Herminæ verò ex albo & nigro, ita tamen vt magis de albo seu argenteo, quàm de nigro participent. Blasonando verò non ita loquimur, Talis Dominus arma gerit siue scutum gestat, ex Herminis argenteis, & atris, sed simpliciter ex Herminis, & ita de Vario. Quod quidem ita accipiendum est, nisi fortè Herminæ ipsæ, vel Varium constent aliis coloribus; tunc enim colores exprimendi sunt, & si ponatur puta banda, fessa, cheuronum, aut aliud huiuscemodi, debebit illud quoque nominari secundum suos colores. Et dicunt Heraldi non posse super pennas poni metalla, sed tantùm colores; De coloribus autem ac eorum significatione lepidissimum extat Andreæ Alciati Iurisconsulti Epigramma, quod inter emblemata eius: legitur autem istiusmodi.

Index mœstitiæ est pullus color: vtimur omnes
Hoc habitu, tumulis cum damus inferias.
At sinceri animi, & mentis stola candida puræ
Hinc syndon sacris linea grata viris.
Nos sperare docet viridis. Spes dicitur esse
In viridi, quoties irrita retro cadit.

Est

Est cupidis flauus color, est & amantibus aptus
Et scortis, & queis spes sua certa fuit.
At ruber armatos equites exornat amictus
Indicet & puero erubuisse, pudor.
Cæruleus nautas, & qui cælestia vates
Attoniti nimiâ relligione petunt,
Vilia sunt giluis natiuaq; vellera Birris
Qualia lignipedes stragula habere solent.
Quem curæ ingentes cruciant, vel zelus amoris:
Creditur hic fuluâ non malè veste tegi.
Quisquis sorte suâ contentus, ianthina gestet,
Fortunæ æquanimis tædia quiq; ferat.
Vt varia est Natura coloribus in gignendis,
Sic aliis aliud: sed sua cuiq; placent.

Videor mihi non ineptè facturus, si disputationem istam hisce versibus clausero & certè si longiùs excurro, vereor ne aliquo tanquam interdicto finiúmve regundorum iudicio, vel denique veluti aliquâ noui operis nuntiatione, nos Heraldus quispiam impediat. Ad eos enim qui Heraldi vocantur, tota hæc doctrina pertinet. Hi verò olim instituti fuere, vt essent quodammodo Patritiarum nobiliumque familiarum nomenclatores, quique exactissimè scirent, quibus metallis & coloribus figurisque singularum familiarum

De Heraldorum officio.

S Nobilium

Nobilium arma essent insignita, & ornata, quomodo diuisa & partita, erantq; iidem velut ignobilis vulgi censores, quod arcebant prohibebantque, ne temerè se Nobilium familiis immisceret, néve Nobilium arma assumeret. Sciebant hi omnium optimè, de coloribus & tota hac disciplina, iudicare, quid ex arte, quid contra eam esset, Nobilium denique arma ab ignobilium armis discernere. Quæ sanè Heraldorum disciplina superioribus ætatibus multis in Regnis, Gallia præcipuè religiosissimè obseruata, nunc vbique ferè gentium magno ingenuæ Nobilitatis malo collapsa videtur. Quò minus mirum videri debet me Iuris ciuilis studiosum de iis quæ ad hanc artem pertinerent ausum fuisse proloqui, atq; extra professionis meæ cancellos progressum alienam syluam cæcidisse, fontesque alienos quodammodo transuertisse, & in alieno seminasse: Putabam hîc multa de emblematum, quæ Itali impressas vocant, natura (quod cum armis magnam affinitatem haberent) interserere: verùm pro coronide hoc tantum dicam, & perfunctoriè quidem; Aliam esse emblematum, aliam armorum siue insignium rationem. Nam hæc gentilitia ideo dicuntur, quod gentem & familiam sequantur. Quilibet verò de familia emblema habere solet peculiare.

De Emblematibus.

peculiare. Capit enim qui emblema assumit pro singulari suo affectu Iconem aliquam, Iconique symbolum aliquod, id est, sententiam breuissimam siue apophthegma (quod plerumque tria tantũmodo verba complectatur) adpingit, quod ad Iconis scopum spectet & significationem [f], fit autem non rarò, vt huiusmodi emblemata etiam in arma transeant, sicut suprà diximus de armis Archiepiscoporum Moguntinensium, sed & vulgus hodie illa corruptè & καταχρηστικῶς sæpissimè vocat arma, quod Nobiles passim ea ad virtutem excitandam non secus ac arma, in pellis, ancilibus, scutis, domesticis parietibus, annulis, peristromatis, vestimentis, supellectili denique omni & nusquam non inscribant impingantque vt semper ob oculos obseruentur. Emblematum notæ obscuriores sunt, quàm armorum; hæ enim statim apertæ sunt & intelligibiles. Est certè τὸ ἐμβαλλέσθαι iniicere ac proponere aliquid obscurius, quod explicationem atque cogitationem requirat. Sunt igitur emblemata tecta, arguta, iucunda, & variè significantia simulachra quæ κατὰ πάρεργον operibus, pro ratione materiæ locique, & ornamenti ac varietatis gratiâ ad virtutem alendam inseruntur. Hæc sunt, Illustrissi-

f Prout videre est in opere singulari quod ea de re Iacobus Typotius ex musæo Octauij de Strada, sculpente Ægidio de Sadeleer edidit Pragæ 1601.

me Marchio, quæ in vestræ potissimùm Excellentiæ gratiam ac Nobilitatis præsertim patriæ bonum, honorem ac gloriam pro nostro in eam singulari adfectu & obseruantiâ publicæ luci permittenda esse existimaui, Æqui, boniq́ue Consule.



FINIS.



